BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
A
20
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS
DIŒCESANA
ECCLESIÆ AQUINATENSIS
ET
FREGELLANÆ SIVE PONTISCURVI

Ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D. FRANCISCO-ANTONIO SPADEA

Epiſcopo Aquini & Pontiſcurvi, Atinæque Præpoſito, SS. D. N. PP. Prælato domeſtico, & Solio Pontificio Aſſiſtente, Sanctæ Sedi immediate ſubjecto,


HABITA IN ECCLESIA ABBATIALI S. MARGARITÆ V. ET M. OPPIDI ROCCÆ SICCÆ

In Feſto, & ſub auſpiciis Sanctiſſimi

NOMINIS MARIÆ

Dominica die decimatertia menſis Septembris

ANNO DOMINI MDCCXLIV.



NEAPOLI: MDCCXLVIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

EDICTUM
INDICTIONIS SYNODI.

FRANCISCUS-ANTONIUS SPADEA

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aquini & Pontiſcurvi, Atinæque Præpoſitus, eidemque S. Sedi immediate ſubjectus.

COELESTIS ille Paterfamilias, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, in quo inimicus homo ſuperſeminavit zizania, ſuis meſſoribus hæc colligi, & alligari in faſciculos ad comburendum juſſit. Matth. c. 13. & 24. Idem ipſe exijt ſeminare ſemen ſuum, quod cecidit in terram bonam, ſecus viam, ſupra petram, & inter ſpinas. Nos igitur munere noſtro fungi, & ſagacis meſſoris, & diligentis agricolæ curam exequi Luc. c. 8. v. 5. & 8. ſtatuentes, & Prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærendo, Agrum hunc noſtræ totius Aquinatenſis Diœceſis perſonali ſancta Viſitatione perluſtravimus, adhoc ut ziza-

Digitized by Google

nia ab eo evelleremus, & bonum ſemen ab aliis jam ſatum meſsoribus, de via, de ſpinis, & de petra ad terram reduceremus fructiferam. Voti compotes effecti fuimus: ſed ne iterum iterumque inimicus homo ſit ſuperſeminaturus, neve venenatis inſufflationibus ſuis ſemen commaculare valeat, operæ pretium duximus opportuna ſtatuere remedia, ne commeſsores noſtri circumferantur

Ad Epheſis cap. 4. v. 14.

fluctuantes omni vento doctrinæ, utque agrum hunc imbecillitati noſtræ concreditum purgare, vepreſque & ſpinas eradicare poſſint, ne aliquid, quod oculos Patrisfamilias offendere queat, inveniatur. Quapropter Synodum Diœceſanam Præſulatus noſtri tertio jam pubeſcente anno in Spiritu Sancto, qui dulcis & rectus legem dabit

Pſal. 24. v. 8.

delinquentibus in via, legitime congregare, juxta Sanctorum Patrum inſtituta, & Concilii Tridentini præcepta, divina opitulante gratia, decrevimus, in qua per arma juſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris, ideſt doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confir-

Ad Corinth. 2. c. 6. v. 7.

mare, diſrupta conſolidare, depravata convertere, & verbum vitæ in æternitatis ci-

Hylarii Epiſt. in Math. c. 27.

bum alendæ familiæ diſpendere pertractabimus; ut lex, quam Dominus omnium ſta-

tuit

Digitized by Google

tuit in via, quam elegimus, in medio cordis noſtri ſemper vigeat, & adamuſſim obſervetur: Præcipimus itaque, & virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut omnes & ſinguli, qui in Civitatibus, & Diæceſis noſtræ locis beneficia cujuſcunque generis Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia poſtulent, quique in Sacris Ordinibus reperiuntur conſtituti; cuncti inſuper alii quicunque tam Seculares Clerici, quam Regulares, qui quovis jure, vel conſuetudine, juriſdictioni noſtræ ordinariæ, vel delegatæ ſubjiciuntur (Capitula autem Cathedralis Aquini, & Concathedralis Pontiſcurvi invitamus, & alia Collegiatarum Eccleſiarum Capitula vocamus, & alios quoſcunque; qui huic Diœceſanæ Synodo intereſse tenentur) clericali & decenti habitu, ſuperpelliceis, alijſque indumentis & ſignis, quibus utuntur, & ad quodcunque eorum munus, & ordinem ſpectantibus, induti Dominica infra octavam Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quæ erit decima ſeptima menſis Maii proxime advenientis, quam ad Synodi relatæ celebrationem conſtituimus, & publicis hiſce literis indicimus, ſummo mane in noſtra Cathedrali Eccleſia S. Conſtantii Psal. 24. v. 12.

Epi-

Epiſcopi Aquini conveniant, & omnino perſonaliter compareant: neque diſcedere inde cuique liceat, ſub pœnis ſacros canones ſancitis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, quocunque ſub prætextu, niſi prius a Nobis veniam impetraverint. Facultatem tamen Parochis impertimur, Curatum ſubſtituendi in proprijs Paræcijs, unum ex Confeſsarijs a Nobis approbatum.

Jacob. Ap. cap. 1. v. 17. Verum, quia omne bonum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, ejus a Nobis in hac re præcipue auxilium eſt implorandum. Quo circa volumus, ut in ſingulis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis, ac etiam Regularibus recenſitæ noſtræ Diœceſis in die Aſcenſionis Domini exponatur Sanctiſſimum Sacramentum publice Chriſtifidelibus adorandum, in dictiſque Eccleſiis dietim a præſentis edicti publicatione poſt Miſſam Conventualem, ſive Parochialem uſque ad Synodi celebrationem Litaniæ B. Mariæ Virginis recitentur, triduoque antecedenti præfatam celebrationem poſt datum ſignum ſerotinæ ſalutationis Angelicæ, cujuſvis Eccleſiæ campanæ ſolenniter pulſentur. Tandem Diœceſanos noſtres monemus in Domino

& ob-

& obſecramus, ut poſthæc inceſſanter ardentiſſimis precibus divini luminis claritatem Nobis ſtudeant impetrare. Et nequis ignorantiæ cauſam allegare valeat, haſce litteras publicari, & affigi in valvis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium univerſæ Diœceſis Eccleſiarum juſſimus. Datum Roccæ Siccæ ex Palatio Reſidentiæ die xxv. menſis Aprilis MDCCXLIV.

FRANCISCUS-ANTONIUS SPADEA
Epiſcopus Aquini & Pontiſcurvi,
Atinæque Præpoſitus.

Sacripantes Armillei Cancell., Synodi Not.

Synodus Diœceſana indicta pro die decima ſeptima menſis Maji Dominica infra octavam Aſcenſionis Domini prorogata fuit juſtis de cauſis, ac dilata ad tempus opportunius ſtabiliendum, atque ad preces Reverendiſſimi Capituli, & Canonicorum Cathedralis Aquinatenſis eiſdem de cauſis alibi celebranda.

EDICTUM
NOVÆ INDICTIONIS SYNODI

Ad feſtum Sanctiſſimi Nominis B. M. V.
Dominica die 13. Septembris 1744.

FRANCISCUS-ANTONIUS SPADEA

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aquini, & Pontiſcurvi, Atinæque Præpoſitus, eidem Sanctæ Sedi immediate ſubjectus.

SAnctiſſimæ Deiparæ Virgini ſine labe conceptæ, quum nuperrime ejus tranſitum ab hac mortali vita, Aſſumptionem ad Cœlum, & coronationem in Reginam ac Dominam Terrarum Orbis, & Cœlorum, majori, qua potuimus, ſolennitate recoleremus, Nos, gregemque noſtrum totis viribus commendavimus; animo revolventes, quod idcirco de præſenti ſeculo translata ſit, ut pro peccatis omnium apud Deum fiducialiter intercedat. Illicoque in mentem venit, ſtatuimuſ-

que

Digitized by Google

que, Diœceſanam Synodum pro die Dominica poſt Domini Aſcenſionem indictam, juſtiſque de cauſis ad tempus opportunius prorogatam; feſto ſanctiſſimi Nominis Mariæ, quæ erit Dominica, dies decima tertia proximi menſis Septembris, celebrare, ut quemadmodum primo conſtitueramus eo tempore, quo Apoſtoli, & univerſus Chriſtifidelium cœtus in unum collecti Spiritum Paraclitum expectabant; cum dilectis fratribus noſtris in uno, eodemque ſpiritu conventuros, Synodaleſque ſanctiones in hac Diœceſis annis abhinc centum ſexaginta tribus penitus ignotas, brevem facilemq; regulam eccleſiaſticæ diſciplinæ continentes edicturos; ita ſub auſpiciis Beatiſſimæ Virginis, Divina gratia, & Spiritu Sancto plenæ, opus prætermiſſum reaſſumimus. Adeamus ergo, & conveniamus omnes, fratres chariſſimi, cum fiducia ad Thronum gratiæ, & Spiritus Sancti Templum: Mariam invocemus, per quam a Deo univerſa bona in Nos derivant, ut gratiam aſſequamur, & miſericordiam inveniamus in auxilio opportuno. Quo circa omnes & ſingulos, ad quos de jure, aut quavis conſuetudine ſpectat intereſſe, iterum monemus & requi-

Digitized by Google

rimus, ut præſtituta jam die, Diœceſanam ad Synodum, quam in Eccleſia Abbatiali Sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris hujus oppidi Roccæ Siccæ celebrabimus, omnino conveniant: nihilque prætermittant; quod prioribus literis noſtris præcepimus; ſed interim omnia in honorem Sanctiſſimæ Virginis Mariæ præſcripta adimpleant. Datum Roccæ Siccæ ex noſtra Reſidentia hac die 22. Auguſti 1744.

FRANCISCUS-ANTONIUS
Epiſcopus Aquini & Pontiscurvi; Atinæque Præpoſitus.

Sacripantes Armillei Cancell. Synod. Not.

DE

Digitized by Google

DE
SYNODI
INCHOATIONE.

DECRETUM I.

In nomine ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

NOS Franciſcus-Antonius Spadea Aquini, & Pontiſcurvi Epiſcopus, Atinæque Præpoſitus, ad Dei omnipotentis laudem & gloriam, Deiparæ ſemper virginis Mariæ ſine labe Conceptæ, omnium Sanctorum, quorum integra Sacra lypſana requieſcunt in Diœceſi, nempe ſancti Conſtantii Aquinatenſis Epiſcopi, & Patroni in eadem urbe, Sancti Grimualdi Pontiſcurvi Archipresbyteri ibidem, Sancti Clini Confeſſoris Roccæ

Digitized by Google

Guilielmæ , Sancti Eleuterii Confeſſoris Roccæ ejuſdem, Sancti Fulci Confeſſoris Sancti Patris , nec non Doctoris Angelici Divi Thomæ Aquinatis , quem ortum fuiſſe in Caſtro Roccæ Siccæ conſtans eſt, & inveterata traditio, ac Sanctæ Tereſiæ Virginis noſtræ peculiaris Patronæ, quam ut in Tutelarem eligant , cunctos de Clero, & Populo noſtræ ditioni ſubjectos enixe in Domino hortamur ; primam hanc Diœceſanam Synodum poſt annos centum ſexaginta tres minime habitam incipimus, & incæptam eſſe volumus. Paraclitus autem Spiritus, qui ex Patre, Filioque procedit , cujus eſt fidelium corda replere, mentes illuminare, ſuique amoris ignem accendere, Nobis adeſſe dignetur, ut quæ recta ſunt ſapere, clare cognoſcere, & exequi valeamus.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM II.

De præjudicio non inferendo.

SI quem in hac Synodo contigerit præter, aut contra conditionem ſuæ dignitatis, gradus, vel muneris incedere, ſtare, ſedere, vocari, aut aliquid aliud peragere, nemini propterea illatum præjudicium ullum, aut novum jus acquiſitum fuiſſe decrevimus; ſed omnia in eo ſtatu firma remanere volumus, in quo erant, priuſquam hæc Diœceſana Synodus cogeretur.

DE

Digitized by Google

DECRETUM III.

De deferendis querelis; & abſentium excuſationibus.

PRO querelis; ſi quæ ſint, recipiendis juxta Sacrorum Canonum inſtituta noſtrum Vicarium Generalem, & Archipresbyterum noſtræ Aquinaten. Cathedralis deputamus: noſtri tamen erit arbitrii hujuſmodi cauſſas ad Nos etiam durante Synodo avocare, aliiſque ad noſtrum beneplacitum committere: & iidemmet Vicarius Generalis, & Archipresbyter abſentium excuſationes recipiant.

DE-

Digitized by Google

DECRETUM IV.

De Officialibus Synodi.

UT hæc Synodus legitime convocata Miniſtrorum pariter opportunitate dirigatur, Officiales in ea ſtatuimus juxta ſeriem infraſcriptam.

Officiales ſunt.

Promotor.

D. Alexander Magnus Capozzella Archipresbyter Cathedralis Eccleſiæ Aquinaten.

Secretarius.

D. Petrus Paulus Sabbatucci Canonicus Concathedralis Pontiſcurvi.

Theologus.

P. Clemens a Jeſu Maria Carmelita Excalceatus S. Tereſiæ.

Ma-

Digitized by Google

Magiſtri Cæremoniarum.

D. Joannes Baptiſta Boſi)
D. Livius de Vito.) Canonici,
D. Silveſter Manna.)

Notarius.

D. Sacripantes Armillei Beneficiatus Collegiatæ Eccleſiæ Arcis.

Oſtiarii.

Clericus Rocbus Panſera.
Clericus Thomas Canobbi.
Clericus Fridericus Notarangeli.

Examinatores, Judices, & Teſtes Synodales licet hoc loco electi, & promulgati fuerint, nomina tamen eorum vide *part.* 3. *cap.* 9. 10. *&* 11. *fol.* 94. 96. *&* 97. ubi de iiſdem agitur.

IN-

INDEX
CAPITUM
PRIMÆ PARTIS.

De Fidei catholicæ profeſſione, & Sacramentis, atque ad hæc pertinentibus.

Cap.I. *De Fidei profeſſione.* pag. 1.
Cap.II. *De Sacramentis in genere.* 5.
Cap.III. *De Baptiſmo.* 7.
§. *De Fonte Baptiſmali.* 9.
Cap.IV. *De Sacramento Confirmationis.* 10.
Cap.V. *De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.* 12.
§.I. *De modo aſſervandi Euchariſtici Sacramenti.* 12.
§.II. *De præcepto ſuſcipiendæ ſacræ Euchariſtiæ.* 13.
§.III. *De expoſitione Sacræ Euchariſtiæ.* 15.
§.IV. *De delatione Sanctiſſimi Sacramenti in Proceſſionibus.* 16.
§.V. *De ſacro Viatico ad infirmos deferendo.* 17.
§.VI. *De Sepulchro Hebdomadæ Sanctæ.* 18.
Cap.VI. *De ſacroſancto Sacrificio Miſſæ.* 19.
Cap.VII. *De oneribus Miſſarum.* 20.
Cap.VIII. *De Sacramento Pœnitentiæ, & Confeſſariis.* 23.
Cap.IX. *De caſibus reſervatis.* 26.
Cap.X. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* 29.
Cap.XI. *De Sacramento Ordinis.* 31.
Cap.XII. *De Sacramento Matrimonii.* 35.

SECUNDÆ PARTIS.

De Præceptis Dei, & Eccleſiæ, atque ad ea ſpectantibus.

Cap. I. *De hæreticis, & ſuperſtitioſis.* pag. 40.
Cap. II. *De blaſphemis.* 41.
Cap. III. *De Feſtorum dierum cultu, & obſervatione.* 42.
Cap. IV. *De Miſſa audienda.* 45.
Cap. V. *De Jejuniis.* 46.
Cap. VI. *De decimis, & oblationibus.* 48.
Cap. VII. *De ſacroſanctis Eccleſiis.* 49.
Cap. VIII. *De immunitate eccleſiaſtica.* 51.
Cap. IX. *De ſacris Reliquiis.* 53.
Cap. X. *De ſacris Oleis.* 57.
Cap. XI. *De Indulgentiis.* 58.
Cap. XII. *De Beneficiis Eccleſiaſticis.* 60.
Cap. XIII. *De rebus Eccleſiæ non alienandis.* 62.
Cap. XIV. *De Inventariis, & Archiviis.* 64.
Cap. XV. *De collatione Caſuum conſcientiæ, & ſacrorum Rituum.* 66.
Cap. XVI. *De Proceſſionibus.* 68.
Cap. XVII. *De exequiis, & ſepulturis.* 69.
Cap. XVIII. *De anniverſario conſecrationis Epiſcopi.* 71.

TER-

Digitized by Google

TERTIÆ PARTIS.

De Miniſtris Eccleſiaſticis, & Officialibus.

Cap.I. *De Canonicis, & Præbendatis.* pag. 72.
Cap.II. *De Parochis.* 75.
Cap.III. *De Vicariis Foraneis.* 81.
Cap.IV. *De vita, & honeſtate Eccleſiaſticorum.* 82.
Cap.V. *De Regularibus.* 86.
Cap.VI. *De Seminario.* 87.
Cap.VII. *De Monialibus.* 88.
Cap.VIII. *De Foro Epiſcopali.* 92.
Cap.IX. *De Examinatoribus Synodalibus.* 94.
Cap.X. *De Judicibus Synodalibus.* 96.
Cap.XI. *De Teſtibus Synodalibus.* 97.
Cap.XII. *De Conſtitutionibus Synodalibus.* 98.
De dimiſſione Synodi. 100.
Rogitus actorum. 104.

Digitized by Google

APPENDICE.

I. *Atti pratici delle virtù Criſtiane.*pag. 107.
II. *Brieve compendio della Dottrina Criſtiana.* 109.
III. *Pratica di devozione nelle Novene della B.Vergine Maria.* 117.
Orazione alla ſantiſſima Vergine praticata da S.Franceſco Sales. 120.
IV. *Sommario della coſtituzione di N. S. Benedetto XIV. felicemente regnante ſopra l'applicazione della Meſſa per lo popolo dovuta da' Parochi, e per gli benefattori da' Capitoli delle Cattedrali, e Collegiate, &c.* 121.
V. *Nota di alcune Indulgenze da poterſi con facilità guadagnare da ogni fedele.* 123.
Indulgenze, che poſſono guadagnarſi nella feſta del Corpo di Criſto, e per l'ottava della medeſima. 125.
Indulgenze, che poſſono guadagnarſi da quelli, che accompagnano il SS. Viatico agl'Infermi. 126.
VI. *Modus a SS.D.N. Benedicto PP. XIV. approbatus ad impertiendam benedictionem in articulo mortis conſtitutis.* 117.
VII. *Elenchus Aquinatenſium Epiſcoporum.* 130.
VIII. *Città, e Luoghi appartenenti alla Dioceſi d'Aquino.* 134.

Emi-

Eminentiſs. e Reverendiſs. Signore.

Domenico Aſcione pubblico ſtampatore ſupplicando eſpone a V.Eminenza, come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato: *Synodus Diœceſana Eccleſiæ Aquinatenſis ſive Pontiſcurvi &c.* Ricorre per tanto da V.Eminenza, e la priega per le ſolite licenze: e l'averà a grazia ſingolariſſima, ut Deus &c.

Dominus D.Carolus Gagliardus V.J.D. & in Lyceo Neapolitano Juris Canonici Profeſſor revideat, & referat. Datum Neap. hac die 26.Julii 1747.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN.

JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.

Emi-

Digitized by Google

Eminentiſs. & Reverendiſs. Domine.

UT morem E.V., qua par eſt obſequentia, gererem, Synodum Aquinatenſem evolvi: in qua nil ſacris canonibus, boniſque moribus repugnans quum non offenderim, eam iccirco dignam luce prælorum cenſeo, ſi acriori limatiſſimoque judicio E.V. ita videbitur. Neapoli Idibus Auguſtis 1747.

E. V.

Humil. & obſeq. Cliens
Carolus Gagliardus.

Attenta relatione Domini Reviſoris Imprimatur. Datum Neapoli die XVII. *Calendas Septembris* 1747.

C. EPISCOPUS CAJACEN. VIC. GEN.

JULIUS NICOLAUS EP. ARCAD. CAN. DEP.

S.R.M.

Digitized by Google

S. R. M.

SIGNORE

DOmenico Aſcione pubblico ſtampatore ſupplicando eſpone a V.R.M.come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato: *Synodus Diœceſana Eccleſiæ Aquinatenſis ſive Pontiſcurvi &c.*Ricorre per tanto da V.R.M.e la priega per le ſolite licenze: e l'averà a grazia ſingolariſſima,ut Deus &c.

Adm.Rev.V.J.D.D.Carolus Gagliardo in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor interinus in Cathedra Inſtitutionum Canonicarum revideat,& in ſcriptis referat. Neapoli die 30.*menſis Junii* 1747.

C.GALIANUS ARCHIEPISCOPUS THESSAL.
CAPELLANUS MAJOR.

S. R. M.

QUum exemplar Synodi Aquinatenſis anno 1744. celebratæ perlegiſſem de imperio M. V. nihil in eo Regiis juribus, aut eccleſiaſticæ hujuſce Regni diſciplinæ adverſum inveni: illudque ad alterius exemplaris, quod apud Secretarium Delegationis Regalis Veſtræ Juriſdictionis reformatum extat, amuſſim agnovi exaratum. Typis exinde in publicum edi poſſe cenſeo. Neapoli Idibus Julii 1747.

Humillimus Subditus
Carolus Gagliardus.

Die

Die 22. menſis Januarii 1748. Neap.

Viſo Regali reſcripto de die 23. Septembris elapſi anni 1747., ac approbatione facta ordine S. R. M. de commiſſione Reverendi Regii Capellani Majoris per Reverendum D. Carolum Gagliardi Reviſorem.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur, cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, & approbatione dicti Reviſoris, verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica: hoc ſuum &c.

DANZA. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. ANDREASSI.

Illuſtris Marchio de Ippolito Præſes S.R.C.
non interfuit.

Maſtellonus.

a 25. del 1748.
Regiſt. Reg. Juriſ. fol. 20.
La Rocca.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIONES ET DECRETA PRIMAE DIOECESANAE SYNODI AQUINI, ET PONTISCURVI

Ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D. FRANCISCO ANTONIO SPADEA

Epiſcopo celebratæ.

PARS PRIMA.

De fidei catholicæ profeſſione, & Sacramentis, atque ad hæc pertinentibus.

CAPUT PRIMUM.

De fidei profeſſione.

I. CUM fides initium ſit noſtræ ſalutis, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua fide impoſſibile eſt placere Deo, paſtoralis *Ad Hebr. XI. v. 6.* ſolicitudo exigit, ut ab ipſa deſumamus exordium hiſce in Synodalibus Conſtitutionibus, ejuſque incrementum pro viribus curemus ad Cleri, & Populi nobis commiſſi morum integritatem, chriſtia-

Digitized by Google

Seſſ.24. nam vitam, & ſpiritualem ſalutem. Ea propter Conc.
cap.12. de Trid. decreto inhærentes, ſtatuimus, ut proviſi de
reform. beneficiis eccleſiaſticis, curam Animarum habentibus, teneantur a die adeptæ poſſeſſionis, ſaltem intra duos menſes emittere fidei profeſſionem, juxta formulam a fel. record. Pio Papa IV. præſcriptam, & mox apponendam, in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis. Idem præſtent proviſi de Dignitatibus, & Canonicatibus in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, non ſolum coram nobis, vel Vicario Generali, ſed etiam in Capitulo infra præſcriptum tempus, ſub pœnis latis in eodem decreto.

II. Præter prædictos emittant fidei profeſſionem novus Vicarius Generalis; Vicarii Foranei; Promotores Fiſci epiſcopalis; Cancellarii; cæterique Miniſtri ejuſdem Curiæ; novi Concionatores; novi Confeſſarii; ludi litterarii Magiſtri, ac tandem proviſi de Beneficiis eccleſiaſticis quibuſcunque, etiam ſimplicibus, ſub pœnis arbitrio. Quod ut omni tempore notum ſit, eorum nomina, qui ejuſmodi profeſſionem emiſerint, in certo libro Cancellarius epiſcopalis referat.

III. Parochi, cæterique animarum Rectores; Confeſſarii, divinique Verbi Miniſtri, ſæpius parentes admoneant, ut a filiis ſuis, cum primum rationis uſum oſtenderint, fidei, ſpei, & charitatis exigant actus, atque ipſis ſuggerant, quidquid in ſacro baptismate profeſſi ſunt, ut ratum habeant, & confirment. Quos recenſitos actus juxta formulam in
Append. Appendice dandam iidem animarum Curatores fre-
num.1. quenter eliciant, præeuntes populo verba ab ipſis
Bened.XIV. prolata devote reddituro.
Conſtit. 7.
Feb.1742.

Formula profeſſionis Fidei.

EGO N.N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo uti-

Digitized by Google

utitur Sancta Romana Eccleſia, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpetratione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vera, & propria Sacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam

Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in SS. Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe: eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſto-

lo-

lorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

Cætera item omnia a ſacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a ſubditis meis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N.N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

CAPUT II.

De Sacramentis in genere.

I. SAcramentnm in genere ex more Eccleſiæ catholicæ acceptum, definitur a Romano Catechiſmo, res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet. *Par. 2. cap. 10.*

II. Sacramenta novæ legis ſeptem eſſe: videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: eaque omnia fuiſſe a Chriſto Domino inſtituta, fide conſtat orthodoxa. Eademque fide certum eſt tria ex his Sacramentis, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem, & Ordinem, imprimere in *Trid. Seſſ. 7. Can. 1.*

ani-

Id. Can. 9. anima characterem, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari abſque ſacrilegio non poſſunt. Omnia autem Sacramenta gratiam ſanctificantem digne ſuſcipientibus conferunt ex opere operato, hoc eſt virtute meritorum Chriſti Domini Salvatoris noſtri.

III. Numero, & effectibus Sacramentorum recte congruit ratio: etenim cum triplex ſit culpa, origi-
S. Thom. 5, nalis, mortalis, & venialis; & quatruplex pœna,
ſent. p. 2. quæ propter illam incurritur, nempe ignorantia, malitia, impotentia, & concupiſcentia, totidem fuere neceſſaria remedia. Baptiſmus quidem contra culpam originalem, Pœnitentia contra mortalem, Extrema Unctio contra venialem, Ordo contra ignorantiam, Euchariſtia contra malitiam, Confirmatio contra impotentiam, & Matrimonium contra concupiſcentiam.

IV. Sancte itaque tractentur a Parochis, aliiſque ſacris Miniſtris divina hæc Sacramenta, præſertim abſque conſcientia peccati læthalis; ne dum aliis pharmacum ſalutis per ea parant, ſibi æternæ mortis propinent venenum. Materiam, & formam adhibeant ex Eccleſiæ more, atque intentionem habeant actualem, vel ſaltem virtualem faciendi, quod ipſa facit Eccleſia: rituſque, & cæremonias calleant, & ſervent ex præſcripto Ritualis Romani, quem librum præ oculis ſæpe habere, & attente debent perlegere.

V. Illud vero diligenter caveant Sacramentorum Miniſtri, ne in eorum adminiſtratione aliquid exigant, aut petant, ſed ab ipſis omnis ſimoniæ labes, & turpis lucri ſuſpicio longiſſime abſit ſub graviſſimis pœnis per ſacros Canones latis. Si quid autem nomine eleemoſynæ, aut devotionis ſtudio a fidelibus offe-
Ritual. Rom. 9. ratur, id licite ex conſuetudine locorum poterunt accipere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Baptiſmo.

I. SAcrum Baptiſma, quod eſt Chriſtianæ religionis, vitæque ſpiritualis initium, licet unum ſit, tripliciter conſiderari poteſt. Quandoquidem appellatur *Fluminis*, ideſt Aquæ (de hoc proprie nos agimus), *Flaminis*, quod eſt votum, & propoſitum baptiſmi cum charitate, ſive perfecta contritione conjunctum: tandem *Sanguinis*, nempe illati martyrii in odium fidei, vel virtutis lumine ſupernaturali cognitæ. Cumque Baptiſmus janua ſit Sacramentorum, per quam in Chriſti Eccleſiam intramus, baptizandorum catecheſis ad Eccleſiæ januam peragatur. *Can. Bapt. de conſ. diſt. 4.*

II. Hujus Sacramenti materia, quæ remota dicitur, eſt aqua vera, & naturalis: proxima vero eſt ablutio per immerſionem, vel infuſionem (hæc poſtrema inter nos eſt uſitatior). Forma, ſunt verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

III. Secluſa neceſſitate, baptismum miniſtrari volumus de die, & in Eccleſia Parochiali, & quidem a proprio Parocho (a quo munere non intelligimus excluſos Cathedralis Aquinatenſis Canonicos juxta laudabilem conſuetudinem ejus Eccleſiæ), vel ab alio Sacerdote per ipſum ſubſtituto, & a nobis approbato. Infans quanto citius deferatur ad Eccleſiam, nec unquam baptismus differatur ultra tres dies. In Eccleſia pariter Parochiali ſupplendæ ſunt quamprimum ſacræ cæremoniæ, ſi ſupervixerit infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus. Sed in hoc caſu accurate perquirat ſacer Miniſter, an materia, forma, & intentio ſervata ſit ex more Eccleſiæ, & ſi dubium ſuper hoc remaneat, ſub conditione rebaptizet *Can. parvulus de conſ. diſt. 4.*

zet. Quod etiam obſervabit, quod ad infantes expoſitos, licet cum ſchedula repertos; cum enim ſciri nequeat a quo, & qua diligentia adhibita ſit materia, forma, & intentio, infantis ſaluti æternæ conſulendum eſt.

d. Can. parvului.

IV. Qui neceſſitate cogente fuerit baptizatus in aliqua parte corporis a capite diſtincta, veluti in manu, pede, &c. iterum baptizandus erit conditione hac adjecta. *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Si vero caput ablutum fuerit, & alia neceſſaria fuerint adhibita, validum eſt baptiſma.

Rit. Rom. dic. §. 1.

V. Inſtruat proinde Parochus quam ſæpiſſime viros, ac mulieres, & præſertim, quæ obſteſtricis munus exercent, de neceſſariis ad hoc Sacramentum: præſertim doceat aquam ſuper caput parvuli infundendam ſimul, dum verba formæ proferuntur, quæ verba integre enuncientur vernaculo ſermone = *Io ti battezzo in nome del Padre, del Figlio, e dello Spirito Santo* = ne facile alterentur, ut ſæpe ab imperitis fit.

VI. Baptizandis nullo pacto imponantur nomina, quæ ſint obſcœna, fabuloſa, ridicula, vel quæ inanium Deorum, vel Ethnicorum ſuperſtitionem redoleant, etiam ſi nomina hujuſmodi deſumta ſint ab aliquo de familia, ſub enunciatis pœnis contra baptizantes.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.

Can. non licet de conſ. diſt. 4

Rit. Rom.

Div. Carol. Syn. Diœc. dec. 17.

VII. Patrinus unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una adhibeantur. Ejuſmodi vero patrinos ſaltem in ætate pubertatis conſtitutos, ac Sacramento Confirmationis obſignatos eſſe volumus. Admitti nequeunt Monachi, aliique cujuſcunque Ordinis Regulares. Item Clericos in ſacris conſtitutos admitti nolumus (proinde Sacerdotes ab officio baptizantis ſuperius excluſimus) niſi de expreſſa licentia noſtra ſub pœna aureorum quinque, aliiſque arbitrio. Excluduntur quoq; ab officio Patrini infames, & qui Paſchali præcepto eo anno non ſatisfecerint.

VIII.

VIII. Edocendus erit populus a Parocho de cognatione ſpirituali dirimente matrimonium, quæ contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, ac inter baptizantem, & patrem, & matrem baptizati, pariter inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, iſtiuſque patrem, & matrem. Eademque cognatio ſpiritualis etiam contrahitur in baptiſmo ob imminens mortis periculum domi collato, excepto ſuſcipiente. In hoc caſu tamen eam non contrahit pater, aut mater, ſi baptizent ex neceſſitate filium ſuum, cum alius ſcilicet non reperitur, qui baptizet. Sicut nulla conſurgit cognatio, cum ſacræ cæremoniæ ſupplentur in Eccleſia. *Rit. Rom.*

IX. Collato Sacramento mandamus ſtatim fieri a baptizante deſcriptionem in libro baptizatorum latino idiomate juxta formulam circa finem Ritualis Romani appoſitam ſub pœna ducatorum decem.

X. Animarum Rectores hortentur mulieres, ut poſtquam a recenti partu convaluerint, ſe conferant ad Eccleſiam, & quidem poſt ſingulos partus, ad gratias agendas Deo, ſacerdotalemque benedictionem ex antiquo religioſo inſtituto ſuſcipiendam.

XI. Iidem quoque Parochi, aliique confeſſarii moneant parentes, & nutrices de non retinendis ſecum in lecto infantibus ante expletum ætatis annum ad ſuffocationis, vel oppreſſionis fortuitæ periculum evitandum.

§. UN.

De Fonte baptiſmali.

I. FOns baptismalis, in quo aqua illa ſervatur, qua qui rite abluuntur, ex filiis iræ natis filii Dei renaſcuntur, & fiunt, ejusmodi ſit, ut quoad fieri poteſt, tanti myſterii dignitati reſpondeat. E marmore itaque, ſolidove alio lapide polite elabora- *Conc. Mediol. 4.*

to conſtet, operculum habeat ex metallo, vel ſtamno. Fonti ſuperpoſitum ſit Tabernaculum, ſeu Ciborium decenter ornatum ad formam pyramidis, in cujus parte ſuperiori extruatur armariolum, ubi ſacra Olea Chrismatis, & Cathecumenorum in vaſculis argenteis, vel ſtamneis aſſerventur: cochlear ſimilis materiæ ad fundendam aquam neceſſarium: vitreum vaſculum pro ſale benedicto retinendo: & duo mantilia candida, unum ſcilicet, quod adhibeatur ad caput infantis abſtergendum, alterum ad inſtar ſubuculæ in uſum veſtis candidæ ſuper ipſum imponendæ. Ciborium prædictum decenti velo, ſeu conopæo operiatur; ſera, clavique obſeretur, & ſi fieri poteſt, ferreis, vel ſaltem ligneis cancellis circumſepiatur.

Synod.Filon.c.22.

II. In pariete ad ipſum fontem proximo imago Sancti Joannis Baptiſtæ Chriſtum Dominum baptizantis decore exprimatur. Adſit in loco commodiori ibidem Sacrarium, in quod & vetus baptiſmi aqua dum renovatur, & quæ ab infantis capite defluit, projicienda eſt. Ea autem aquæ renovatio cum ſolemni benedictione de more perficienda erit a Parochis bis in anno, utroque ſcilicet Sabatho ante Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſtes.

C A P U T IV.

De Sacramento Confirmationis.

Cath.Rom. §.18.

I. SAcramentum Confirmationis ita nuncupatum, quia ejus virtute Deus id in nobis confirmat, quod baptiſmo operari cœpit, noſque ad Chriſtianæ ſoliditatis perfectionem adducit, licet ad ſalutem æternam abſolute non ſit neceſſarium, negligentia tamen in ipſo ſuſcipiendo abſque culpa non eſt. Qua de cauſa in Canonibus Pœnitentialibus ad quintum præceptum habetur: *Cum filius ſine Confirmationis Sa-*

Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum eſt, pœnitentiam agant annos tres. Et jure: pueri enim confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur, ſicut heic majorem obtinent gratiam. S.Thom.3. par.quæſt. 72. art. 8.

II. Adultis maxime gratia hujus Sacramenti ad vitam Chriſtiane inſtituendam confert, hinc in Canone dicitur: Spiritus Sanctus in fonte baptiſmi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; in baptiſmo regeneramur, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. Can. Spir. de Conſ. diſt. 5.

III. Ætas ad Confirmationem ſuſcipiendam cum a jure non ſit ſtatuta, arbitrio relinquitur Epiſcopi pro circunſtantiarum opportunitate.

IV. Parochi diligenter inquirant an in propriis Paræciis aliqui degant adulti non dum hoc Sacramento muniti, eosque bene inſtructos, & præmiſſa Sacramentali confeſſione ad illud ſuſcipiendum adhortentur.

V. Patrini munus obire in Confirmatione nolumus Regulares, & Clericos in Sacris conſtitutos, omnesque alios, qui ab officio hujuſmodi in baptiſmo excluduntur. Item maſculi non ſint fœminis patrini, neque fœminæ maſculis matrinæ. Unus tantum Patrinus pro viro, & una matrina pro fœmina adhibeantur: iique ad tale officium aſſumi nequeunt, niſi confirmati fuerint; in eadem autem die, nullus niſi unum, aut duos, non plures præſentet, ſeu teneat confirmandos; ſciantque omnes, etiam in hoc Sacramento ſpiritualem cognationem, matrimonium dirimentem contrahi inter confirmantem, & confirmatum, ejuſque Patrem, & Matrem, ac Tenentem. Quam cognationem non contrahere illum, qui non dum confirmatus aliquem in Sacramento Confirmationis forte ſuſciperet, Sacra Concilii Congregatio declaravit. Pontific. Rom. hic in Lycien 13. Junii 1654.

VI. Deſcribantur a proprio Parocho confirmati in libro ad hoc habendo juxta formulam circa finem Ritualis Romani datam, ſub pœnis ſuperius, ubi de baptiſmo actum eſt, ſtatutis: ſimilemque deſcriptionem præſtet Cancellarius noſter in libro penes ipſum in Cancellaria Epiſcopali retinendo.

CAPUT V.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

I. MAximum hoc Sacramentum, in quo divitias divini ſui erga homines amoris Deus voluit effundere, non ſolum id habet commune cum cæteris Sacramentis, ut gratiæ ſanctificantis ſignum, & cauſſa ſit, ſed ipſum quoque Auctorem gratiæ & ſanctificationis in ſe continet.

§. I.

De modo aſſervandi Euchariſtici Sacramenti.

I. UT ſacratiſſima Euchariſtia quam maxima pietatis, & honoris ſignificatione cuſtodiatur in Eccleſiis, ubi ea aſſervari ſolet, & debet; tabernaculum decens, & honorificum habeatur ex marmore, vel ſaltem ligno affabre elaborato, & ornato. Sit autem ita bene adſtructum, ut nullum omnino foramen extet in eo: conopæo decenti coloris, qui officio diei conveniat, contegatur: & claudatur clavi argentea, vel ſaltem ferrea auro linita, quæ nunquam in oſtiolo ipſius ciborii, ſive tabernaculi relinquenda erit, ſed in Sacriſtiæ armario cuſtodienda.

II. Lampas ex aurichalco ſaltem confecta, & bene expolita perpetuo ardeat ante Aram, in qua Euchariſticum Sacramentum aſſervatur, ſub pœnis graviſſimis arbitrio noſtro.

III.

III. Particulæ conſecrandæ ſint ex hoſtiis non ante decimum diem confectis, quas octavo quoque die ad ſummum mandamus renovari.

§. II.

De precepto ſuſcipiendæ ſacræ Euchariſtiæ.

I. QUod pertinet ad præceptum ſuſcipiendæ Divinæ Euchariſtiæ, in omnium memoriam revocamus Lateran. Conc. decretum ſub Innocentio PP.III., cujus hæc ſunt verba. *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſuſcipiat reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Quare nos Almæ Urbis, quæ caput eſt, & magiſtra omnium Eccleſiarum, praxim ſequentes, ſtatuimus tempus Paſchale ad præfatum præceptum implendum illud eſſe, quod a Dominica Palmarum incluſive uſque ad Dominicam in Albis pariter incluſive intercurrit. Eo autem tempore in propria quiſque Parochia ſub pœna de non ſatisfaciendo, niſi ſecus Nos, aut proprius Parochus permiſerit, ſacram Euchariſtiam percipere teneatur. Omnes vero de Clero recipiant ſacram Communionem in propria Eccleſia in Miſſa ſolemni Feria V. Majoris Hebdomadæ, quo die Eccleſia divini hujus Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit ſub pœnis arbitrio.

Cap. c. ... de pæn. & remiſſ.

II. Ut autem dignoſcantur, qui huic præcepto non paruerint, accedentibus ad ſacram Communionem ſchedulas Parochus diſtribuat, quas præfato elapſo tempore teneatur ab iis recipere. Si quis vero per fraudem non communicanti alicui ſchedulas ejusmodi auſus fuerit commodare, tum tradens doloſe, tum recipiens excommunicationi ipſo facto, Nobiſque reſervatæ ſubjaceant.

III.

Digitized by Google

III. Qui Paſchatis tempore modo explicato Euchariſtiæ Sacramentum non ſuſceperint, noverint ſe interdictum, & caſum Nobis reſervatum incurriſſe; a quò abſolvi poterunt a proprio Parocho, ſive ejuſdem vices agente, ad hoc officium per Nos approbato tantummodo uſque ad feſtum Aſcenſionis Domini incluſive. Quapropter animarum Curatores poſt prædictum feſtum Aſcenſionis infra ejuſdem octavam ad noſtram Cancellariam tranſmittant notam, & nomina eorum, qui Paſchale Præceptum non impleverint, ſub pœna ſuſpenſionis.

IV. Arceantur a ſacra Communione publici excommunicati, interdicti, publice in odio contra proximum obſtinati, manifeſte infames, ut meretrices, concubinarii, uſurarii, aliique id genus perditi homines.

Div. Carol. p. 4. de Euch.

V. Quod ad pueros, tum his tradenda erit Divina Euchariſtia, inquit S. Thomas, cum ſunt in ætate apta ad dijudicandum, & reverendum Corpus Domini, vel prope ætatem adultam, ſcilicet duodecim annorum, vel undecim. Tunc temporis, ſi appareant ſigna reverentiæ, & diſcretionis, poſſunt ſumere. Sed de his recurret ſermo *in cap. de Parochis*.

In 4. diſt. 9. ar. 4. ad 3.

VI. Parochi, Confeſſarii, & Concionatores ſæpius populos hortentur ad frequentiorem uſum ſaluberrimi, divinique hujus Sacramenti, in cujus Cibi fortitudine ad Montem Dei, ſcilicet æternam gloriam pervenitur. Nemini tamen liceat, nequidem Regularibus in propriis Eccleſiis Euchariſtiam diſtribuere in media nocte Nativitatis Domini, nec Feria VI. in Paraſceve, aut Sabbato Sancto, exceptis infirmis, ſub pœna ſuſpenſionis: neque miniſtretur poſt meridiem.

§. III.

§. III.

De Expoſitione Sacræ Euchariſtiæ.

I. PUblicæ fidelium venerationi Euchariſticum Sacramentum in oſtenſorio exponi prohibemus in quibuſcunque Eccleſiis etiam Regularium, niſi ex publica cauſa, & de licentia Noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis, excepta octava ſolennitatis Corporis Chriſti, quibus diebus id fieri permittimus in Eccleſiis, in quibus ſolet adſervari Divina Euchariſtia, & Novendio ante ſolennitatem Nativitatis Domini.

II. Ejuſmodi expoſitio fiat ſemper maxima, qua poſſit veneratione, ſub parvo baldachino, quatuordecim ſaltem candelis cereis continenter ante Sacramentum ardentibus, & cum adſiſtentia Sacerdotis, vel Clerici ſuperpelliceo induti, aut ſaltem unius, vel plurium ex Confratribus alicujus Societatis ſaccis veſtitorum aſſidue orantium flexis genibus, ſub pœnis arbitrariis.

III. Ex privata cauſa tamen poterit oſtiolum Tabernaculi aperiri, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum ab ipſo non extrahatur, & ſit velatum, itaut ſacra Hoſtia videri non poſſit.

IV. Oratio quadraginta horarum majori ſolennitate celebranda eſt: proinde Altare decoro, & religioſo apparatu, totamque etiam Eccleſiam, ſi id fieri poſſit, exornare ſtudebunt, qui huic rei præficientur. Plura lumina ex cera alba in eo Altari jugiter ardeant. Clerici ſuperpelliceo amicti, apertoque capite orent ante Sacramentum. Iidemque, & quilibet alii ante ipſum tranſeuntes utroque genu adorent.

V. Volumus, & expreſse mandamus, ut Eccleſiæ, in quibus hujuſcemodi habetur expoſitio, dato ſigno Salutationis Angelicæ, hora vigeſima quarta, claudan-

dantur, nulla obſtante conſuetudine in contrarium; ſi ſecus Nos non cenſuerimus. Et nunquam inſtituatur in Eccleſiis parvis, ne ob loci anguſtias aliquid irreverenter contingat.

§. IV.

De delatione Sanctiſſimi Sacramenti in Proceſſionibus.

I. QUoniam ſolennior ejuſmodi delatio in Feſtivitate Corporis Chriſti, ac per ejus octavam fieri ſolet, ea religiose, & honorificentiſſime contingat, oportet. Quapropter hortamur in Domino Archipresbyteros, Canonicos, Parochos, & alios quoſcunque tum de Clero, tum de Populo, ut ſinguli pro viribus præſeferant ſummæ Religionis ſpecimina; & cultus erga Sacratiſſimam Eucharistiam.

II. Curent vias, per quas circumferendus eſt ipſe Rex Regum, & Dominus Dominantium, a ſordibus purgari, floribus, foliiſque virentibus ſterni, ac parietes ipſos, quantum fieri poteſt, decenter ornari.

III. Ne autem vento, aut pluvia improviso ſupervenìente lumina extinguantur, mandamus, ut in ſolenni proceſſione quatuor cum ſuis oſtiis lanternæ hinc, & hinc circa Sacerdotem Divinam Hoſtiam geſtantem cum in his accenſis candelis deferantur.

IV. In Proceſſionibus, quæ haberi ſolent ſingulis menſibus in aliquibus Eccleſiis (de quarum inſtitutione, aut conſuetudine Eccleſiarum Rectores reſpective Nos doceant) ſimilis ſervetur regula. Illud vero advertimus, ac præcipimus, ut Divina Eucharistia circunducatur ſub decenti baldachino: Crux cum ſua haſta ſemper geſtetur ante Clerum, thuribulum ſaltem unum cum thure ardente ante

Sa-

Sacramentum deferatur: nec non ſex ſaltem intorticia accenſa. Sacerdotes autem, & Clerici, ac Confratres denudato capite, & religioſe incedentes, hymnos, & pſalmos devote canant, campanis interim Eccleſiæ, a qua procedit, aliarumque Eccleſiarum, circa quas ſacra ſupplicatio forte tranſibit, feſtivo ſonitu pulſatis. Idque in propria Eccleſia ſervetur etiam in reditu proceſſionis, & ſolenni benedictionis tempore.

§. V.

De ſacro Viatico ad infirmos deferendo.

I. PArochi ne deferant ſacrum Viaticum ad infirmos de nocte ſecluſa neceſſitate, ſed de die, & tunc præcedat ſignum majoris campanæ Eccleſiæ Parochialis: & ubi tempus permiſerit, aliquantulum expectetur competens numerus aſſociantium. Inter hos recenſendi ſunt præſertim Eccleſiaſtici, & Confratres Sanctiſſimi Sacramenti (ubi adſint), qui ad eam aſſociationem tenentur ex inſtitutione. Sciant vero Clerici atteſtationem ſuper hoc inter alia requiſita ad ordines Nos exacturos, ut infra adnotabitur. *Cap.XI.de Sacr. ord.*

II. Pulſentur campanæ omnes præfatæ Eccleſiæ feſtivo ſonitu in exeundo; & redeundo Sacramento. Præter alia lumina, duæ ſaltem lanternæ cum candelis intus accenſis circa Sacerdotem Viaticum deferentem geſtentur, Clerico præeunte cum thuribulo, & accenſo thure: aliaque ſervari volumus in ſimilibus proceſſionibus ſervanda. Poſt reditum ad Eccleſiam, antequam detur benedictio, publicentur Indulgentiæ ad formam mox adnotandam.

III. Duas ſaltem pixides habeat quælibet Paro-

chialis Eccleſia, ut in una ibidem remaneat Divinum Sacramentum, quum Viaticum in aliter defertur ad infirmos.

IV. Si vero urgente neceſſitate noctu deferendum ſit, ne quid inconveniens cum Sacramenti irreverentia contingat, præcipimus unicam tantum deferri hoſtiam, ſeu particulam conſecratam, cum numero ſufficienti luminum, ac præeunte una tantum lanterna, & campanula jugiter pulſata (campanæ enim Eccleſiæ in hiſce caſibus ex turri nullatenus pulſandæ ſunt); ad domum infirmi cum fuerit perventum, Sacerdos ante fores aſſociantibus cum Sacramento benedicat:& poſt porrectam ægroto communionem, extinctis luminibus, privatim ipſe ſine ſacris veſtibus poterit diſcedere. Quod pariter ſervandum eſt, cum ſacrum Viaticum defertur ad aliquem infirmum in rurali domo degentem.

D. Carol. in Inſtruct. Viſit. Infirm.

V. Indulgentiæ ſuper indicatæ ſunt, videlicet. Qui cum cereis accenſis aſſociantur Sacramentum Euchariſticum ſeptem annos, & totidem quarantenas: quinque annos ſine cereis aſſociantes: tres annos, & totidem quarantenas, qui cereos aliis deferendos mittunt. Qui verò legitime impediti domi ſuæ ſemel devote recitaverint Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro infirmo, centum dierum indulgentiam aſſequuntur.

Innoc. Pp. XII. ann. 1695

§. VI.

De Sepulchro Hebdomadæ Sanctæ.

I. PAretur locus aptus in aliqua Capella Eccleſiæ, vel Altari diſtincte ab eo, in quo aſſervari ſolet Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, & decenter, quoad fieri poteſt, ornetur cum velis, & luminibus: quoniam memores eſſe debemus, Sepulchrum

chrum parandum eſſe Chriſto viventi, de quo dictum eſt. *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*. *Iſaiæ xi. v.x.*

II. Sub pœna ſuſpenſionis præcipimus Parochis, aliiſque Rectoribus Eccleſiarum, in quibus Sepulchrum fuerit paratum, ut januæ earundem claudantur hora ad ſummum ſecunda noctis Fer. V. Majoris Hebdomadæ, qua nocte tamen plures ardeant candelæ, vel lampades ante Domini Sepulchrum, & aliqui Clerici ſuperpelliceo amicti, vel ſaltem confratres ſaccis induti ibi reverenter aſſiſtant.

III. Clavem arculæ, ubi aſſervatur ſacratiſſimum Chriſti Corpus, Sacerdos ille apud ſe retineat, qui proxima Paraſceves die celebraturus erit; & ſub graviſſimis pœnis arbitrariis prohibemus, ne cuſtodiatur penes perſonam laicam cujuſcunque conditionis exiſtat.

CAPUT VI.

De ſacroſancto Sacrificio Miſſæ.

I. MIſſa, idcirco hoc nomine nuncupata, quia per Angelum, ideſt Chriſtum, qui eſt magni conſilii Angelus, Sacerdos preces ad Deum mittit; ſicut populus per Sacerdotem: vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa. Miſſa igitur eſt tremendum, & incruentum Sacrificium, quo cruentum ſemel in ara Crucis oblatum vere repræſentatur; & quo illius virtus nobis quotidie applicatur. *S.Thom. 3 p.q.85.ar.4. Ibid.ſeſſ. 22. cap.2.*

II. Offertur ad gratiam, & donum pœnitentiæ obtinendum in remiſſionem criminum, & peccatorum quorumcunque etiam ingentium, nec ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, aliiſque neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, non dum ad plenum purgatis.

III. Triplex eſt autem Miſſæ valor: generalis ſci-

Digitized by Google

ſcilicet, qui toti Eccleſiæ debetur; ſpecialis, qui Sacerdoti celebranti convenit; & medius, qui ei applicatur, pro quo offertur ſacrificium.

IV. Meminiſſe in primis debet Sacerdos graviſſimi moniti Tridentinæ Synodi, quod nempe ſummo religionis cultu, & veneratione ſacroſanctum, divinumque Sacrificium celebrent: proindque maxima interiori cordis munditia, atque etiam exteriori devotionis, & pietatis ſpecie ad ipſum accedant. Si enim maledictum hominem appellat Scriptura, qui facit opus Dei negligenter, quantis putemus maledictis, & pœnis dignum, qui Chriſtum ipſum Deum vivum minus reverenter tractaverit?

Decr. de Celebrat. Miſſ.

CAPUT VII.

De oneribus Miſſarum.

I. AD obligationem quod attinet Miſſarum celebrandarum, accurate ſervetur Bulla fel. record. Inoc. PP. XII, & decretā Sacr. Congr. eidem inſerta; quibus Nos inhærentes præcipimus RR. Archipresbyteris, Canonicis, Beneficiatis, Capellanis, ſingulisque Presbyteris, & quibuſcunque noſtræ juriſdictioni quomodolibet ſubjectis, ut Miſſas celebrent, aut celebrari faciant juxta normam ipſis præſcriptam a teſtatoribus, & benefactoribus ab Ordinario approbatam.

5 Januar. 1697.

II. Miſſarum onera certa die, hebdomada, vel menſe adimplenda non differant ſine legitima cauſa, ſed, quantum fieri poteſt, potius præveniant. Miſſæ verò certò Altari legatæ in eo omnino celebrentur, quod ſi non Altare, ſed Eccleſia tantummodo fuerit per benefactorem deſignata, extra ipſam nequaquam liceat tale onus implere, ſub pœna de-

non

non ſatisfaciendo, aliiſque arbitrariis. Sub quibus pœnis prohibemus Miſſarum adimplementum ab alio deſcribi, quam a celebrante. Ipſe autem, etiam ſi alterius Sacerdotis obligationibus ſatisfaciat, proprium nomen ſub die, menſe, & anno, quibus Miſſam celebraverit, adnotet, ſequentem videlicet in modum. *Conſt. Bened. XIV. 30. Junii 1741.*

Die Menſis Anni Ego NN. celebravi.

Quod obſervandum erit in quocunque onere Miſſarum, etiam quæ pertinent ad hebdomadam, ſubhebdomadam, ut appellant pro Populo, aliove ex titulo proveniant, quas omnes deſcribi volumus in proprio reſpective libro.

III. Ex conſuetudine immemorabili hujus noſtræ Diœceſis taxa manualis eleemoſynæ pro qualibet Miſſa privata eſt unus carolenus monetæ hujus Regni, quam taxam Nos approbamus, non prohibentes Sacerdotibus majorem recipere eleemoſynam, ſi Fidelium pietate ſponte offeratur.

IV. Noverint tamen omnes, & ſinguli Chriſtifideles cujuſcunque conditionis exiſtant ex Apoſtolica nuperrima conſtitutione laicos quidem pœnam excommunicationis, Clericos vero, & Sacerdotes quoſcunque ſuſpenſionis ipſo facto, & Romano Pontifici reſervatæ incurrere, ſi accipientes eleemoſynam, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, retenta ſibi parte, minora tradant ſtipendia, ſeu eleemoſynas celebranti etiam ſcienti, & conſentienti. Quod turpis mercaturæ genus facere ſi auſi fuerint Eccleſiaſtici, pœnis etiam aliis arbitrio noſtro plectentur, ex præſcripto ejuſdem conſtitutionis. Quanta cura &c. ſup. cit. 30. Junii 1841.

V. Si forte contingat, quod aliquis ex Canonicis, & Beneficiatis, etiam Cathedralium, ſive Presbyteris Eccleſiarum, quæ receptitiæ nuncupantur, Miſſas ad propriam hebdomadam, aut ſubhebdomadam ſpectantes aliqua quacunque ex cauſa nequeat celebra-

brare, ne Eccleſia debito ſervitio, & piæ Teſtatorum mens ſuo fraudetur ſuffragio, teneantur Capitulum, & Canonici, vel alii Presbyteri reſpective ſub pœna ducatorum vigintiquinque curare prædictarum Miſſarum adimplementum, & quidem in hebdomada præſtituta: quum hujuſmodi onera ipſis communia ſint, ac proinde juris remediis ab eo, vel iis, ad quos ſpectat, ſtudeant redintegrari. Quod pariter obſervari volumus in Anniverſariis, cæteriſque oneribus Miſſarum Capitulis, ſeu Collegiis prædictarum Eccleſiarum addictis ſub eadem pœna. Hebdomedarius proinde, ſi prævie non moneat ſe impeditum eſſe, pœna plectetur arbitraria.

VI. Libri, ubi Miſſarum celebratio adnotanda erit, in Sacriſtia retineantur, ſub pœna decem ducatorum: ſub eademque pœna ibidem affixa pendeat Tabella omnium onerum Miſſarum cujuſque Eccleſiæ, a Nobis, vel Vicario noſtro Generali approbata; ſive eæ Miſſæ communes ſint toti Capitulo, aut Clero, ſive particulares cujuſcunque Beneficii, Capellaniæ, vel legati pii.

VII. Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem celebrentur. Prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto Nobis reſervatæ Miſſas privatas in media nocte Nativitatis Domini, & tribus poſtremis diebus Majoris Hebdomadæ, excepta Miſſa pro functione reſpective ſolenni eo tempore occurrente in iis Eccleſiis, in quibus haberi ſolet, & debet.

VIII. Nobis inconſultis, ſive Vicario noſtro Generali nullus Sacerdos ſive ſecularis, ſive regularis Sacrum faciat in Eccleſia Monialium, præter Confeſſarium, & Capellanos ad id deputatos.

Nicol. in floſc. ver. Miſſa nu. 25.

IX. Sacerdotes peregrini ſive alienigenæ ſeculares, aut regulares non admittantur ad Sacrum faciendum in quacunque Eccleſia etiam Regularium, niſi exhibeant literas Teſtimoniales proprii Ordi-

Trid. ſeſſ. 22. de Celeb. miſſ.

Ordinarii in loco reſidentiæ a Vicario noſtro Generali recognitas, in aliis locis Diœceſis a Vicariis Foraneis, vel Parochis, ubi ii non ſint Deputati, ſub pœna quinquaginta aureorum contra admittentes, & celebrantes, aliiſque arbitrariis pro perſonarum conditione.

CAPUT VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Confeſſariis.

I. Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſecunda tabula poſt naufragium cum Divo Hieronymo appellatur a ſacris Doctoribus, Chriſtus Dominus tunc præcipue inſtituit, cum ex mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Hanc ordinis poteſtatem, quam appellant, abſolvendi a peccatis tradit Epiſcopus, cum in Presbyterorum ordinatione relata verba Chriſti Domini ſuper ipſos pronunciat. *Ad Demetrium ſcribenſ. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1.*

II. Poteſtas tamen Ordinis non ſufficit, niſi & poteſtas accedat juriſdictionis, quæ ſi ex officio oriatur, ut in Parochis, ordinaria nuncupatur: alii vero Sacerdotes eam delegatam accipiunt per approbationem ab Ordinario, ſeu Epiſcopo: atque hæc quouſque extendatur, ex literis plerunque dignoſcitur approbationis. *Trid. ib. cap. 7.*

III. Sacerdos ad ſacramentales Confeſſiones audiendas deputatus in nullo eorum ſit judicandus, quæ in alio judicare eſt promtus, ne ipſi exprobatio congruat evangelica: *Medice cura te ipſum*. Hinc Confeſſarius, ſi fuerit culpæ lethalis ſibi conſcius (quod abſit) ad hujus Sacramenti adminiſtrationem non accedat, niſi prius corde pœniteat: ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat *Luca 4.*

Rit. Rom. rubr. de Sacr. in gen. ferat, convenit confiteri. Sacerdos enim ſacramentales confeſſiones excipiens, & abſolvens cum conſcientia gravis culpæ, peccat lethaliter.

IV. Ne gravitas tanto muneri, & Sacramento congruens deſideretur, præcipimus quibuſcunque ſæcularibus Confeſſariis, etiam Parochis cujuſcunque dignitatis, ut audituri quocunque tempore confeſſiones ſacramentales in Sede confeſſionali in Eccleſiis etiam Regularium publice expoſita, ſuperpelliceo, & ſtola ſint amicti: vel ſi rationabilis cauſa id non permittat, ſaltem veſte induti talari, prohibentes præſenti hac conſtitutione ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus ipſo facto incurrenda, ne prædicta in Sede, veſte tantum breve induti (vulgo dicta *abito corto*) confeſſiones excipiant.

V. Mulierum confeſſiones alibi non audiantur, quam in Eccleſia, & Sede confeſſionali, in loco patenti, & non ſuboſcuro poſita; & habente crates ferreas, ſeu ſtamneas, parvis foraminibus reſperſas, nullatenus facie ad faciem converſa: nec de mane ante lucem, nec horis nocturnis, exceptis mulierum infirmarum confeſſionibus, & tunc oſtio cubiculi aperto, ita ut familiares videre, licet non audire queant, ſub graviſſimis pœnis arbitrio. Confeſſarius autem quicunque poſt auditam confeſſionem infirmi ſive viri, ſive mulieris Parochum de hoc moneat, aut certe ſchedulam cum atteſtatione apud ægrum relinquat.

Cap. cum in cunctis de elect. VI. Scientia per ſacros canones, & Doctores in Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtro requiſita, ſaltem debet eſſe mediocris. *Scientia Confeſſarii*, inquit S. Antoninus, *& ſi non ſit major, tamen tanta debet eſſe, ut ſciat diſcernere inter peccatum, & peccatum, & inter veniale, & mortale, & ſi in aliquo eſſet dubitatio, ſciat dubitare, ut poſſit recurrere ad peritiores.* Nec ſibi blandiatur Confeſſarius de approbatione ali-

quando

Digitized by Google

quando obtenta, ſi præacquiſitam doctrinam aſſidua lectione, & conſultatione fovere & augere non ſatagat.

VIII. Cathechiſmum proinde Romanum juſſu S. Pii V, & decreto Conc. Trident. editum præ manibus habeat; monita Divi Caroli ad Confeſſarios, & ſelectiores quoſdam libros de Morali Theologia agentes: quod quidem Nos in S. Viſitatione ſciſcitabimur. Sæpe item perlegat regulas præſcriptas a Rituali Romano de Sacramento Pœnitentiæ: necnon propoſitiones a Summis Pontificibus Alexandro VII, Innocentio XI, & Alexandro VIII proſcriptas. Tandem calleat accurate caſus & Summo Pontifici, & quoſdam mox apponendos Nobis reſervatos.

VIII. Secum bene perpendat Confeſſarius ſeſe non poſſe ligare, nec ſolvere ad arbitrium ſuum, ſed tantum, ſicut a Deo ſibi præſcriptum eſt, ut ait Angelicus Doctor. Firmum teneat in primis, quos ex doctrina præſcripta per S. Sedem nequeat abſolvere. Qua in re perpendendæ ſunt ſequentes præſertim propoſitiones inter damnatas. *3.p.q.18. a.3.*

1. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem &c., & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* *Prop. 60. ab Innoc. XI. damn.*

2. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult mittere.* *61. ab eod. Innoc.*

3. *Abſolutionis eſt capax homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* *64. ab eod. Innoc. damn.*

IX. Quia vero non ſine lachrymis intelligimus

 Sa-

Sacramenti Pœnitentiæ antidotum ſæpe converti in animarum venenum, ſummopere commendamus omnibus Confeſſariis, ut curandis recidivis ſedulo incumbant, illis, etiam ſi ſint Sacerdotes, opportune in aliud tempus abſolutionem differendo, ut hac ratione pravos habitus exuere, rebelleſque animi affectus compeſcere doceantur. Id vero nequaquam poterunt præſtare Sacri Miniſtri, ſi accurate de anteactis confeſſionibus interrogationes non inſtituant, prout ratio & prudentia dictabit.

CAPUT IX.

De caſibus reſervatis.

I. SOlenne eſt in Eccleſia Dei ex Sanctorum Patrum inſtituto, ut atrociorum quorundam, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent Epiſcopi in propria Diœceſi: quo fit, ut difficultate impetrandæ veniæ deterriti perditi homines, arceantur a patrandis ſceleribus, a quibus ſciunt ſe non a quocunque Confeſſario, ſed a ſolis Eccleſiæ Prælatis poſſe abſolvi. Id Nos ad populi Nobis commiſſi utilitatem, ex Trid. Conc. mente factum volumus, quædam peccata etiam ſine ulla cenſura, & alia quædam, quibus excommunicatio annexa erit, noſtro judicio reſervantes.

Seſſ. 14. cap. 7.

II. Nihilominus pro pœnitentium commoditate, ne in deſtructionem id cedat, quod in ædificationem Eccleſia Mater inſtituit; in utraque noſtra Cathedrali Aquini, & Pontiſcurvi Presbyterum cum Pœnitentiarii titulo conſtituendum duximus, donec pœnitentialis præbenda ibidem ex Apoſtolicis ſanctionibus inſtituatur, cui Confeſſario facultatem concedimus abſolvendi a reſervatis hic ſubjiciendis, juxta tenorem tamen literarum ipſi a Nobis expeditarum.

Caſus

Caſus Epiſcopo reſervati cum excommunicatione.

1. AButentes Sacramentis, aut Sacramentalibus, vel Sanctorum reliquiis ad incantationes, divinationes, maleficia, ſortilegia patrandum cum expreſſa, vel tacita dœmonis invocatione.

2. Blaſphemantes ultra tres vices Deum, B. Virginem, & Sanctos, aut proferentes contra ipſos verba opprobrioſa coram pluribus.

3. Alloquentes turpiter cum Monialibus, aliiſque perſonis in Monaſterio degentibus: nec non literas amatorias, ſeu inhoneſtas ad eas ſcribentes, ſcienterque deferentes.

4. Aſportantes, detinentes, occultantes, vel occupantes ſupellectiles, ſcripturas, bona quæcunque, jura, vel acta ad loca pia eccleſiaſtica, & etiam ad Cancellariam noſtram ſpectantia.

5. Falſarii falſum deponentes in judicio cum gravi proximi damno.

6. Sponſi, & Sponſæ poſt inita ſponſalia, & ante matrimonii legitimam celebrationem quomodolibet inſimul converſantes, ſeſeque turpiter cognoſcentes: qui propterea ad vitandum periculum caveant ad domum alterius accedere ultra duas, aut tres vices ad honeſtæ urbanitatis officium, & tunc nonniſi ad modicum tempus, & parentibus, aut ſaltem duobus conſanguineis, vel affinibus alterutrius præſentibus. Itemque parentes, aut Sponſarum tutores id permittentes, aut non impedientes.

7. Omnes, qui ſcienter & malitioſe conſcripſerint, ediderint, explanaverint, retinuerint, conſultaverint, mandaverint, transtulerint, vel in publico loco expoſuerint libellos famoſos: nec non literas, uſurpato nomine aliorum, vel nomine omnino ſuppreſſo (quas *memoriali*, *e lettere cieche* vulgo appel-

pellant) in re gravi calumnioſe, etiam per figuras, picturas, vel alia ſigna in gravem proximi diffamationem: exceptis tantum litteris ad ſuperiorem directis a perſonis timoratæ conſcientiæ de re vera, & non calumnioſa, ſed ad bonum finem, atque ad evitanda ſcandala, dummodo alia via non ſuppetat.

8. Parentes minime curantes ut ſui ipſorum filii, poſtquam ad duodecimum ætatis annum pervenerint, ad ſumendum in Paſchate Reſurrectionis primum judicio proprii Parochi Sacramentum Euchariſtiæ accedant, & Paſchale præceptum adimplere incipiant. Iique minime abſolvantur, niſi poſtquam ipſos pueros inſtruendos eidem Parocho præſentaverint, & quominus inſtruantur, donec neceſſe fuerit, non impediverint.

Caſus abſque excommunicatione reſervati.

1. PAtrantes actus ſuperſtitioſos cum expreſſa dæmonis invocatione ſine abuſu rei ſacræ.

2. Committentes peccatum beſtialitatis, vel ſodomiæ.

3. Inceſtum in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, & in primo affinitatis, etiam provenientis ex cognatione ſpirituali per Baptiſmum, vel Confirmationem contracta.

4. Committentes homicidium voluntarium, membrorum mutilationem, & abortum etiam inanimatum: itemque mandantes, conſulentes, aut quomodolibet cooperantes, effectu etiam non ſecuto.

5. Committentes peccatum contra ſextum præceptum, adhibita violentia cum quacunque muliere ſive conjugata, ſive ſoluta.

6. Confeſſarii violantes ſextum præceptum cum propriis pœnitentibus, vel ipſas ad turpia ſolicitantes, aut quomodolibet inhoneſte tractantes, ſine ulla occaſione confeſſionis.

CA-

CAPUT X.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

I. Extrema Unctio, quæ etiam Sacramentum *exeuntium* appellatur, in ſubſidium decedentium ex hac mortali vita a Chriſto Domino inſtituta eſt, & per Jacobum Apoſtolum fidelibus promulgata. Cumque proxima hujuſce Sacramenti materia ſint unctiones, quinque corporis partes (inquit Rituale Romanum) præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os, & manus. Pedes quoque, & renes ungendi ſunt: quæ duæ poſtremæ unctiones licet non ſint de Sacramenti ſubſtantia, ſervari tamen debent ex Romanæ Eccleſiæ praxi. At renum unctio in mulieribus honeſtatis gratia ſemper omittitur: atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. *Catbech. Rom. de hoc Sacr. Trid. Seſſ. 14.*

II. Neque eſt de Sacramenti eſſentia, ut oculus uterque, utraque manus, & aures ambæ ungantur; licet extra neceſſitatem Eccleſiæ præſcriptum omnino ſervandum ſit. Quod ſi ægrotus ſenſu aliquo careat; v. g. oculis, vel manu; unctio facienda eſt vel ad partem illam, ubi ſenſus eſſe debuerat; vel ad partem proximiorem: propterea quod quamvis in caſu hujuſcemodi homo ſenſu deſtituatur, gaudet nihilominus animæ potentia, quæ interius valet peccare deſiderio, & affectu circa ea, quæ ad ſenſum pertinent deficientem. *Rit. Rom. §. 7. de hoc Sacr.* *S. Thom. in 4. diſt. 23. quæſt. 2. & 3.*

III. Forma Extremæ Unctionis eſt, quæ præſcribitur in Rituali Romano, & ad ſingulas unctiones per modum deprecationis profertur.

IV. Miniſter eſt proprius Parochus, vel Sacerdos, qui reſpectu ægroti ſpiritualem habet jurisdictio-

S. Carol. ctionem : qui ſi fuerit impeditus , aut alias in mora *Conc. Me-* ſit , mortiſque inſtet periculum , alius Sacerdos lici- *diol. 5.* te miniſtrabit .

V. Superpelliceo , & ſtola violacei coloris indutus, & duabus accenſis candelis ſacer Miniſter hoc adhibeat Sacramentum : neque expectet , quando æger omni prorſus ſenſuum uſu careat , aut quando ejus omnino deſperata ſit ſalus : utilius eſt enim miniſtrare , dum illi adhuc integra mens eſt , ut majori cum devotione , & fructu recipiat tantum Domini beneficium .

VI. Periculose ergo ægrotantes , propeque moribundi, ſenio confecti, atque in diem morituri inun- *Con. Me-* gendi ſunt , non vero pueri uſu rationis carentes, ne- *diol. 5.* que amentes a nativitate , nec mulieres partu laborantes , niſi morbus ſupervenerit , aut tale adeſſe videatur periculum , quod eas ad mortem adigat : nec impœnitentes , aut his ſimiles : quive morbo nullatenus afficiuntur .

VII. Parochus antequam inungat infirmum, gravibus verbis eidem breviter explicet Sacramenti hu- *Seſſ. 14.* jus multiplices fructus a Conc. Trid., & Rit. Rom. rela- *cap. 2. de* tos ; eumque excitet ad ferventiores actus fidei, ſpei , *hoc Sacr.* charitatis , & contritionis , & ad præmittendam ſuorum peccatorum confeſſionem , etiamſi forte paucis tantum diebus ea præceſſerit : aliaque præſtet , quæ ab eodem Rituali præſcribuntur .

VIII. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non poteſt , niſi diuturna fuerit , cum ſcilicet infirmus medicorum judicio ſemel conſtitutus extra probabile, ſeu propinquum mortis periculum , denuo *Idem Rit.* in morbum periculoſum inciderit , & ita prudenter *§.14.* cenſeatur diverſus ſtatus , diverſum periculum , & *Barruſſa d. ibi.* diverſa diſpoſitio ad moriendum .

IX. Animarum Rector hortetur ægrotum, ejuſque familiares , ut curent acceſſiri habentes facultatem,

tem, ſi qui ſint, certas Indulgentias applicandi: et Nos etiam in loco, ubi commorabimur, requirant, qui ad benedictionem, & plenariam Indulgentiam pro facultate a maxima clementia regnantis Summi Pontificis Nobis conceſſa elargiendam extemplo, libentique animo accedemus.

CAPUT XI.

De Sacramento Ordinis.

I. Ordinis Sacramentum eſt ſignum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Imprimitque in anima characterem, qui nec deleri, nec auferri poteſt. Quanta autem ſit dignitas divini hujus Sacramenti, ex eo liquet, quod a Chriſto Domino per ſacram Ordinationem homines quodammodo ſupra Angelos ſint conſtituti, & Dii in Scripturis Sanctis appellentur. Per ſacros item Miniſtros Sacrificium incruentum perficitur, ac divina myſteria pertractantur, ex quibus in Eccleſiam Dei univerſam ſpiritualia, & temporalia bona promanant.

Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. Malach. 7 Exod. 22.

II. Nos itaque ſummam Sacerdotis excellentiam, ac dignitatem animo reputantes cum Divo Dionyſio fatemur, *qui Sacerdotem dicit, auguſtiorem, prorſusque divinum virum inſinuat*. Et præ oculis habentes monitum Apoſtoli ad Sanctum Epiſcopum Timotheum; *manus cito nemini impoſueris, & ne communicaveris peccatis alienis*, eos in ſortem Domini advocare, & ordinare Clericos curabimus, quantum humana patietur imbecillitas, qui miniſterium Altaris implere, opus Dei perficere, atque dominica Sacramenta digne valeant tractare: melius eſt enim divini Sacerdotii paucos habere Miniſtros, qui poſſint laudabiliter Domino inſervire, quam multos inutiles, vel minime idoneos, qui & ordinatori ſuo, & ſibi-

De cæleſt. Hier. c. 1. Epiſt. 1. cap. 3. Can. Taleſ. diſt. 23.

ſibimetipſis oneroſi, contumelioſique ſint.

III. Id, ut Dei adjuvante gratia, aſſequamur, ab iis, quos ad Ordinum gradus eligendos in Domino exiſtimabimus, omnino ſervari volumus, quæ a Sacro Conc. Trid., ac Apoſtolicis conſtitutionibus, præſertim noviſſimis, præſcripta ſunt pro Clericis Neapolitani hujus Regni, ad quarum normam Synodalia hæc decreta edere ſtatuimus.

tract. Concord. 13. Jun. 1741.

IV. Prima igitur Tonſura nemo unquam initiabitur, niſi ad titulum Beneficii eccleſiaſtici, aut Capellaniæ perpetuæ, cujus redditus, detractis oneribus & impenſis, medietatem taxæ mox deſcribendæ patrimonii ſacri ſaltem attingant. Ad titulum patrimonii nullus admittetur, niſi Nobis & ſucceſſoribus noſtris conſtiterit certa neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, & prævie probetur in actis Cancellariæ noſtræ integrum patrimonium, cujus fructus, deductis oneribus, & impenſis, ad annuos redditus viginti quinque ducatorum perveniant, ex antiquo more hujus Diœceſis.

ibid. c. 4. §. 1.

Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. conc. ibid. §. 9.

Syn. Filon. ann. 1581. c. 48.

V. Cancellarius Curiæ noſtræ hujuſmodi patrimonii acta non conficiat, niſi probatæ vitæ homines jurati teſtentur, quod illud in bonis fructiferis, & ſtabilibus, aut ſuper annuis redditibus certis ſit conſtitutum: & niſi patrimonii donator, ſeu aſſignator etiam juramento confirmet bona donata, aſſignatave a ſeipſo donante, vel aſſignante re vera, & pacifice poſſideri, nec ſubeſſe periculo, ut evincantur ab alio, qui eorundem verus ſit dominus: neque obnoxia eſſe creditoribus ullis jure hypothecæ, aut pignoris.

VI. Ordinandus præterea jurejurando ſpondeat, & ſeſe obliget coram eodem Cancellario, & apud acta, ſe nullo pacto prædicta bona alienaturum ſine licentia noſtra, & niſi Beneficium eccleſiaſticum, aut quid ſimile ad vitæ ſuſtentationem ſufficiens in Curia noſtra pro-

Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.

Digitized by Google

probandum, fuerit adeptus: nullumque inter ipſum, & donantem pactum interceſſiſſe, quod bona donata, vel aſſignata, ſive eorum fructus ipſi donanti, vel alteri ſit reſtituturus, niſi vel poſt ſuam ipſius donatarii mortem, vel poſtquam quid aliud fuerit aſſecutus ad vitæ ſuſtentationem ſufficiens.

VII. Utque fraudes circa prædicta longius arceantur, bona, ad quorum titulum quis erit initiandus, una cum fructibus, qui exinde quotannis percipiuntur, mandamus a proprio illius Parocho in Eccleſia palam nunciari, & publice proponi; eorumque deſcriptionem a Cancellario factam per decem dierum ſpatium affixam retineri præ foribus Parochialis Eccleſiæ, ubi bona eadem ſita ſunt.

VIII. Hujus conſtitutionis forma in recipiendis patrimoniis accurate obſervetur a Cancellariis, ſive Notariis Curiæ noſtræ, aliter acta, & ſcripturæ tanquam nullius momenti non admittantur ſub pœna excommunicationis ipſo facto Nobis reſervatæ. Iſtæc acta proinde recognoſcantur a noſtro Vicario Generali.

IX. Præter titulum beneficii, ſive patrimonii, antequam ad primam Tonſuram quis admittatur, per triennium de licentia noſtra in ſcriptis in clericali habitu incedat, feſtiviſque diebus de præcepto Eccleſiæ ſibi aſſignatæ inſerviat: quod triennale ſervitium expleto decimo ętatis anno inchoandum erit. Exhibeat inſuper teſtimonium in Curia Epiſcopali de hujuſmodi ſervitio una cum atteſtationibus Baptiſmi, & Confirmationis per ipſum Ordinandum ſuſceptorum: nec non legitimi matrimonii ſuorum parentum, deque tribus denunciationibus inter Miſſarum ſolennia in propria Parochia peractis ſine detectione canonici alicujus impedimenti. Item de bonis Ordinandi moribus & vita ita conſtet, ut Deo adjuvante expectare poſſimus in novo vitæ genere eum Deo, & Eccleſiæ cultum & honorem, ut par eſt, præſtiturum.

Concord. loc. cit. ſ. 3.

Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.

X. Ad minores Ordines aſſumendi bonum habeant teſtimonium a Parocho, & Magiſtro Scholæ, nec non Rectore Eccleſiæ, cui fuerint addicti, de ſervitio ibidem laudabiliter, & aſſidue præſtito: præſertim quod frequenter Pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ Sacramenta receperint. Quod ſingulis Dominicis diebus horis pomeridianis Parocho in edocendis pueris fidei rudimenta adjumento fuerint; & præſto in aſſociatione Sanctiſſimi Viatici ſuperpelliceo induti. Tandem quod præviis ut ſupra denunciationibus (niſi aliter Nos judicaverimus) nullum conſtet impedimentum. Ad ætatem vero quod ſpectat, minoribus Ordinibus non initiabuntur, niſi qui quatuordecim ætatis ſuæ annos ſaltem expleverint.

Concord. ibid. §. 7.

XI. Eorum, qui ad Sacros Ordines a minoribus gradum facere optaverint, laudabilis vivendi ratio ita eluceat oportet, ut laicis exemplo ſit ad virtutem. Quindenis idcirco diebus, ultra ſolenniores anni feſtivitates, Sacramento Pœnitentiæ mundentur, atque ad divinam Euchariſtiam inter Miſſarum ſolennia ſuſcipiendam ſuperpelliceo amicti accedant. Super quibus qui teſtimonium juramento firmatum ab Eccleſiæ Rectore, cui inſervierint, non reportaverint, ad ulteriores Ordines nequaquam a Nobis admittentur. Legitima in primis eorundem vocatio probanda erit: quod ut fiat, volumus per certum temporis ſpatium in Seminario noſtro permaneant, antequam ſingulos Sacros Ordines ſuſcipiant: & quidem ante ſuſceptionem Subdiaconatus per tres menſes: unicum vero menſem ante Diaconatum, unumque alium ante Presbyteratus Ordinem. Qua opportunitate etiam operam dabunt exercitationibus ſpiritualibus juxta venerab. mem. Innoc. PP. XI præſcriptum.

9. Octobris 1682.

XII. Experimentum fiet, illudque diligens ſuper doctrina Ordinandorum. Nec enim cum vulgo puta-

putamus Sacerdotio idoneum, qui Miſſis celebrandis, & horis Canonicis perſolvendis par tantummodo ſit: profectò Nos ad gradum tam excelſum neminem attollemus, qui ex Conc. Trid. aptus non ſit ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: atque ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idoneus non comprobetur; ut eo pacto Nobis in cura paſtorali ex Eccleſiæ intentione valeat eſſe adjutorio. Cumque memoratis miniſteriis maxime neceſſaria ſit peritia moralis Theologiæ, ſuper ea præſertim facultate Sacerdotio conſecrandorum examen erit habendum.

Seſſ. 14. cap. 14. de reform.

Pont. Rom. de ord. presb.

XIII. Quæ tamen pro Regni Neapolitani ſubditis nuper præſcripta ſunt, ſimiliter requirenda & obſervanda ſtatuimus pro Clericis incolis Civitatis Pontiſcurvi, ejuſque Pagi S. Olivæ, Pontificiæ ditioni in temporalibus etiam ſubjectæ.

CAPUT XII.

De Sacramento Matrimonii.

I. SAcramentum hoc *magnum eſt*, inquit Apoſtolus, *in Chriſto*, *& Eccleſia*. Matrimonii auctor fuit Deus O. M. ab ipſo naſcentis Mundi exordio; ejuſque ſanctitatem deinde probavit Chriſtus Dominus, quum nuptiis in Cana Galileæ adeſſe voluit, & ſuam miraculorum virtutem in earundem gratiam primo patefecit. Recte igitur Sacræ litteræ, Sancti Patres, & Eccleſia univerſa prædicant religioſo cultu, ſacriſque ritibus matrimonia celebranda, ubi relucet imago dilectionis Chriſti, quam ipſe erga Eccleſiam ſponſam ſuam declaravit. Hinc Nos vehementer cupientes divinum hoc inſtitutum a populis curæ noſtræ concreditis, qua par eſt veneratione coli, ſanctiſſimis Eccleſiæ legibus inhærendo, abuſus plu-

Ad Eph. 5.

Geneſ. 1.

Joan. 2.

res, qui in locis hujus Diœceſis antiqui hoſtis invidia irrepſere, eliminandos conſtitutionibus ſequentibus decernimus.

II. Ut ergo frequentibus, maximiſque ſcandalis occurramus, ubi aliqui inter ſe ſponſalia contraxerint, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, & Nobis reſervatæ Sponſis, & Parentibus, aut Sponſarum Tutoribus permittentibus, aut non impedientibus prohibemus, ne ſimul iidem Sponſi cohabitent, neque alter ad alterius domum accedat, neque in aliena domo conveniant, aut alibi ſoli diverſentur, ultra duas, aut tres vices ad honeſtæ urbanitatis officium, & tunc ad modicum tempus, & parentibus, aut ſaltem duobus eorum conſanguineis, vel affinibus præſentibus. Si qui vero in tantam pervenerint pravitatem, ut Dei vindictam, & eccleſiaſticas cenſuras minime verentes contra hoc ſtatutum noſtrum frequentius ſimul præfato modo converſentur, Parochi de tanto Nos ſcandalo certiores reddant, ſub pœnis arbitrariis.

S.Carol. Conc.Provinc. 2.

V.Elench. reſervat.

III. Iidem Parochi matrimonii contrahendi trinas denunciationes inter Miſſarum ſolennia ex præſcripto Trid. Conc. non præmittant, niſi obtenta licentia in ſcriptis a Curia noſtra, & prævia oretenus exploratione utriuſque Sponſi liberæ voluntatis, eorumque præhabito ſeparatim libero conſenſu ſic præfatas denunciationes faciant, ſub arbitraria pœna. Ea opportunitate illis aperiant obligationem callendi fidei noſtræ rudimenta, ut ita ſe parent ad reſpondendum ſuper iis, quum teſtimonium ad noſtram Cancellariam eos afferre oportebit.

Seſſ. 24. cap. 1. de reform.

Rit. Rom. de matr. §.

S.Carol. ott. p. 4.

IV. Hujuſcemodi denunciationes tribus diebus feſtivis de præcepto in utraque Parochia, & viri ſcilicet, & mulieris, ſi diverſæ ſint, fiant. Et forte ſi tres dies feſti ſibi immediate ſuccedant, tunc, uno intermedio excepto, duobus tantum ex iisdem fe-

Rit. Rom. §. VII.

feſtis denunciationes haberi volumus. Quod ſi nullum legitimum deferatur impedimentum, atteſtationem hac ſuper re Parochus non dabit ea ipſa die, qua ultima habita ſit denunciatio, ſed die ſequenti, aut ſerius: quod cautius agendum erit, cum ex rationabili cauſa unam pro tribus fieri permiſerimus. Doceat autem populum animarum Rector non revelantes impedimenta, quæ forſan ſcierint, excommunicationem ipſo facto Nobis reſervatam incurrere. Si infra duos menſes poſt habitas publicationes matrimonium non contrahatur, denuo repetantur denunciationes, niſi aliter nobis videatur.

V. Una cum atteſtatione denunciationum Parochus fidem tranſmittat ad noſtram Curiam, quod ſponſi ſufficienter calleant principaliora noſtræ fidei rudimenta, memoria retineant orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, Apoſtolorum ſymbolum, Decalogi, & Eccleſiæ præcepta, & Sacramenta: nec non quod Baptiſmi, & Confirmationis Sacramenta ſuſceperint. Quæ omnia unica brevi atteſtatione ſufficienter ſingula prædicta complectente perſtringat. Quod ſi alteruter ex contrahere volentibus alio fuerit aliquando conjugio copulatus, fides etiam de priori matrimonio, priorisque conjugis morte exhibenda erit. *Rit. Rom. §. XI.*

VI. Quod ad probationem ſtatus liberi contrahentium, omnino ſervata volumus decreta hac de re alias emanata. At ſi ſermo ſit de incolis, & contrahere cupientibus extra Civitatem, reſidentiamque noſtram in locis noſtræ Diœceſis, ne hi cogantur cum gravi incommodo teſtes ad Cancellariam noſtram mittere, Sponſorum Parochis reſpective, eorundem teſtium examen juxta enunciatam formam inſtituendum committimus, quorum depoſitiones, cæteraque acta bene clauſa, & ſigillata ad eandem Cancellariam tranſmittant: pro quibus actis in uni-

ver-

verſum pluſquam duos carolenos non exigant. Vicarius vero noſter Generalis, & Cancellarius, ubi comperint aliquem per tempus notabile abfuiſſe a Diœceſi, eum non admittant ad contrahendum, niſi conſtet ipſum alibi manſiſſe liberum, & quidem ex literis Teſtimonialibus illius Ordinarii, intra cujus jurisdictionis fines fuerit commoratus. Tempus autem notabile abſentiæ quod ad hoc putamus quinque, aut ſex menſes continuos.

Rit. Rom. §. 6.

VII. Et ſi matrimonia celebrata coram Parocho, & duobus, aut tribus teſtibus valida ſint, ſive Parochus ſit viri, ſive ſit mulieris contrahentis; attamen ex conſuetudine noſtræ Diœceſis coram Parocho mulieris contrahenda ſunt, niſi aliter Nos dijudicaverimus. Ipſemet vero ad celebrationem Matrimonii de præſenti non deveniat, niſi habita licentia in ſcriptis a Curia noſtra ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto. Et primum Sponſos gravibus verbis moneat, quemadmodum docuit Angelus Raphael Tobiam, quam periculoſum ſit conjugium ita inire, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, libidinique vacent, ut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: ſuper eos enim habet poteſtatem dœmonium; eodem Angelo annuntiante. Pro majori ergo religione, ac reverentia erga hoc Sacramentum, domi non celebrentur matrimonia ſine ſpeciali licentia noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis, urgentiſſima tantum ex cauſa concedenda, & non alias, nullo habito perſonarum reſpectu, cujuſcunque conditionis exiſtant; ſed omnino in Eccleſia, & de mane, ac præmiſſa ſacramentali Confeſſione. Atque ita Sponſi bene diſpoſiti accedant coram Parocho ad contrahendum, ac poſtea ad ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipiendam ſub pœnis noſtro arbitrio graviſſimis contra animarum Rectores domi, aut extra deſignatum tempus matrimonii celebrationi intereſſentes.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.

Tob. 6.

S. Carol. Conc. Mediol. prax. Aim. Urb.

Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.

VIII.

VIII. Deteſtabilem abuſum in pluribus Diœceſis noſtræ locis, in Sponſos irreptum, non recipiendi ſacerdotalem benedictionem ab Eccleſia ſtatutam, omnino abolendum mandamus per eos, ad quos ſpectat. Curatores itaque animarum Sponſis ex præſcripto, & religioſo more ſanctæ Eccleſiæ benedictionem impertiantur in Miſſa, pro qua, niſi ii petant ſibimet applicari, nihil exigere præſumant; detrectantibus vero minentur illud Pſalmi 108. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & induit maledictionem ſicut veſtimentum*. Ritus tamen hujuſmodi omittendus erit, cum matrimonium celebratur tempore Adventus, & Quadrageſimæ, quo nuptiarum ſolennitates vetitæ ſunt ab Eccleſia: pariterque ſi mulier alteri viro juncta fuerit, & in prioribus nuptiis benedictionem acceperit. Atque ſi forte veſpere, aut domi de ſpecialiſſima licentia noſtra contractum ſit matrimonium; tunc debent, quamprimum Sponſi veniant ad Eccleſiam, benedictionem a proprio Parocho ſuſcipere. Quod itidem obſervabunt, qui præfato tempore interdicto contraxerint.

Rit. Rom. §. 15. *Can.* aliter 30. *q.* 3. *Can.* nullus. *ibid. Trid. loc. cit.*

IX. Ipſa die celebrati matrimonii deſcribentur a Parocho in libro ad hoc deſtinato nomina, cognomina, & patria conjugum, & teſtium juxta formulam Rit. Rom. circa finem ſub pœna in ſimilibus præſcripta ducatorum decem, quod Nos in Sancta Viſitatione animadvertemus.

Finis primæ partis.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

De Præceptis Dei, & Eccleſiæ, atque ad ea ſpectantibus.

CAPUT I.

De Hæreticis, & Superſtitioſis.

I. UT catholica fides, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, in hac Diœceſi integra & inviolata ſervetur, omnibus,& ſingulis Parochis, & Vicariis foraneis ſtricte præcipimus, ut omni ſtudio invigilent, ſi quis hæreticus, ſchismaticus, apoſtata, de hæresi ſuſpectus, aut aliquis etiam, qui nuper fidem catholicam amplexum fuiſſe profiteatur, in ſuis reſpective locis, sive ad quæſtum, ſive aliter quomodolibet vagans ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia diverſetur, ad Nos denuncient infra tres dies, ſub pœnis arbitrio noſtro reſervatis.

II. Superſtitionis crimen, quod non raro apud Catholicos graſſatur, extra Diœceſis noſtræ fines eliminatum vehementer optamus. Efficacibus proinde verbis ſæpe animarum Rectores inter Miſſarum ſolennia ejus criminis gravitatem, ac pœnas a Deo, humaniſque legibus conſtitutas denuncient. Idque omnes

Filon. Synod. cap. 7.

nes

res præſtent Sacerdotes in audiendis confeſſionibus; memores etiam, quod caſus hujuſmodi Nobis ſit reſervatus.

CAPUT II.

De Blaſphemis.

I. HOmo, *qui blaſphemaverit nomen Domini,* Levit. 24. *morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo*, ita Deus in Scriptura Sancta loquitur. Qua ex pœna facile quis intelligat, quam odibile Divinæ Majeſtati ſit blaſphemiæ crimen. Ut igitur hoc tam peſtiferum ac deteſtabile ſcelus ex Epiſcopali noſtra ditione prorſus tollatur, ac radicitus extirpetur, Parochi, & Concionatores, hi intra concionem, illi intra Miſſarum ſolennia tantum crimen divinis, humaniſque legibus execratum deteſtentur, & extirpare omnino ſtudeant.

II. Confeſſarii abſolutionis beneficium ſciant nequaquam poſſe impertiri hujus furfuris hominibus, qui prava conſuetudine in impia blasphemiæ verba abripiuntur, etiam ſi caſum hujuſmodi Nobis reſervatum aliquando abſolvendi facultatem ipſis impertiamur. Gravibus præſertim verbis horrorem, quoad ejus fieri poteſt, incutiant iis, qui auſu impudentiſſimo Sanctos, & Deum ipſum maledictis afficiunt, de quibus vere dici poteſt: *poſuerunt in cœlum os ſuum.* Pſalm. 72. Quod non raro pluribus in locis piorum aures offendit.

III. Seculares etiam Judices monemus & obſecramus, ut pro Divini Nominis reverentia & honore ſimpliciter etiam, & non hæreticaliter blasphemantes plectant ſtatutis pœnis, uberrimam piæ curæ mercedem ab ipſo Domino expectaturi præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X ipſis Ju-

dicibus, & ſingulis quoque delatoribus elargitus eſt.

CAPUT III.

De Feſtorum dierum cultu & obſervatione.

I. QUantum exigat æternus totius temporis Creator ac Dominus dierum Feſtorum cultum & obſervationem, plura, eaque clara extant in ſacris paginis teſtimonia. *Memento* (ait Dominus) *ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptima autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, & jumentum tuum.* Idem in aliis locis maximopere inculcatur, pœnis etiam graviſſimis propoſitis. Quæ de Sabbati die in veteri Teſtamento præſcribuntur, placuit Eccleſiæ Dei poſt novi Teſtamenti gratiam acceptam de Dominica die obſervanda ab ipſo Apoſtolorum ævo, multis quidem de cauſis ex Scriptura, & ſanctis Patribus deſcriptis, in Romanoque Catechiſmo indicatis.

Exod. 20. *Hierem. 17.* *Part. 3. c. 4. n. 19.*

II. Ad Dominicam diem alia acceſſere feſta, ab Eccleſiæ initio memoriæ Chriſti Domini Servatoris noſtri beneficiorum, ac myſteriorum conſecrata: nec non Deiparæ, ac Sanctorum honori, ad Dei ipſius gloriam, qui Sanctis ſuis dedit gratiam & coronam, dicata. Sacris hujuſcemodi ſolennitatibus, quas ſancta Mater Eccleſia divino edocta inſtituto religioſe præcipit cuſtodiri ad Dei cultum, & animarum noſtrarum ſalutem; hoſtis humani generis ad divinam offenſionem, hominumque perniciem curat multipliciter abuti.

III. Damnabiles proinde abuſus hac in re multis in locis noſtræ juriſdictionis irrepſiſſe ſæpe numero,

ro, & vehementer doluimus, atque ad eos extirpandos ſolicitudinis paſtoralis ſtudia omnia intendimus: quod ut, Deo adjuvante, plene aſſequamur, per Synodales haſce Conſtitutiones ſtricte præcipimus diem Dominicum, ceteroſque feſtivos de præcepto per annum omni, qua decet, religione coli & ſanctificari. Quapropter omnes, & ſinguli Chriſtifideles intra Diœceſis noſtræ fines degentes a quocunque labore, ſervilique opere præfatis diebus ſe in primis abſtineant: ſanctiſque operibus & exercitationibus Sabbata Domini ſanctificent. Non ergo putent, nec ſibi blandiantur dies feſtos ſanctificare, qui a ſervilibus operibus vacantes Miſſa vix audita totum diem in aleis, choreis inhoneſtis, ebrietatibus, comeſſationibus, aliiſque peccatis, & vanitatibus tranſigunt, quos quidem lethalis peccati reos eſſe definivit tertia Toletana Synodus. Sanctiſſimæ proinde huic ſanctioni inhærentes omnes hortamur in Domino, ut ſaltationes, theatrales ludos, tripudia, aliaſque id genus modo indicatas feſtorum profanationes diebus Deo dicatis omnino evitare ſatagant. *Can. 23.*

IV. Eamque ob rem moneant Parochi quam ſæpiſſime populos ſibi commiſſos, ut ſeſe contineant ſacris diebus non modo a ſervilibus operibus ceteroqui indifferentibus, ſed a pravis præſertim actionibus & flagitiis, quæ tali potiſſimum tempore dedecent, maximeque ad iracundiam Dei Majeſtatem provocant: itemque hortentur fideles ad divina officia concelebranda, & conciones frequenter audiendas, ac in precibus, recolendiſque Dei maximis beneficiis aſſidue verſandum. Sumant proinde, & illud verſent argumentum tum inter Miſſarum ſolennia, tum in explicatione Catechiſmi, aliiſque opportunitatibus, proponendo Dei ultionem, & pœnas contra ſanctorum feſtorum violatores ex Scriptura, & eccleſiaſtica hyſtoria depromtas. Apoſtoli tandem monito utentes,

Digitized by Google

arguant, obſecrent, increpent opportune, importune in omni patientia, & doctrina.

V. Inter Miſſarum ſolennia ſingulis diebus Dominicis cujuſque hebdomadæ feſta, & jejunia ex præcepto ſervanda, ſiquæ occurrant, annuncient: & utraque initium a media nocte præcedenti deſumere, & ſubſequentis noctis medietate terminari, eodemque præcepti vigore nocturnis, ac diurnis horis eorundem feſtorum ab interdictis operibus ceſſandum.

VI. Super ſanctarum feſtivitatum obſervatione & cultu Vicarius noſter Generalis in loco reſidentiæ, & Vicarii Foranei, & Parochi præſertim, ubi illi non ſint, in ſuis reſpective locis, qua par eſt ſedulitate, invigilent, nullo habito perſonarum reſpectu, implorato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, ſæculari brachio. Si quid autem obſtiterit, quin finem per ſe ipſos aſſequantur, ad Nos diſtincte quamprimum referant ſub pœnis arbitrio contra Vicarios Foraneos, & Parochos negligentes.

VII. Tempore meſſis, & vindemiarum, aliiſque ſimilibus occaſionibus, quum humana neceſſitas, & pietas id ſuadeat, ubi requiratur a Nobis licentia aggrediendi opera ſervilia, ea ex ſacrorum Canonum indulgentia gratis concedetur, cum obligatione tamen Miſſam prius audiendi. De hac itidem conditione Parochi populum ſæpe moneant, ut ſolum pro iis operibus indulta facultas ſuffragari intelligatur, quæ temporis dilationem non patiuntur. Idem præſtent Vicarius noſter Generalis, Vicarii Foranei, aut Parochi in eorum defectu; ſi quis ex urgenti hujuſmodi neceſſitate ad ipſos recurſum habeat, quorum conſcientiæ, noſtram exonerantes, id remittimus.

Can. licet de feriis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Miſſa audienda.

I. CUm feſti dies potiſſimum, ut Dei, & Sanctorum laudes celebrentur, & divina beneficia recolantur, inſtituti ſint ex hactenus dictis, jure merito ſancta Mater Eccleſia filiis ſuis Chriſtifidelibus præcipit, ut in Templis conveniant ad ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium præfatis diebus: quemadmodum in veteri Teſtamento populus in ſolennitatibus conveniebat ad oblationes, & ſacrificia, quæ divinum Miſſæ inſtitutum repræſentabant. Omnes ergo, & ſinguli fideles Sacro interſint, corporis habitu decenter compoſito, ac devoto cordis affectu, *atque* (ut inquit S. Epiſcopus Cyprianus) *cogitatio omnis carnalis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur*. Ideo Sacerdos ante orationem, præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo *ſurſum corda*, ut reſpondente plebe *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil ſe aliud, quam Dominum cogitare debere. Nemo adſtet Miſſæ cum ſclopis, aliiſque hujus generis armis, ſed cum Chriſtianæ pietatis ſignis. Nec viri utantur eo tempore lineis, aut laneis, vel ſimilis materiæ albi, alteriusve coloris pileolis.

Deuter. 6. Trid. ſeſſ. 22. de ſacrifici. Can. quando de conſ. diſt. 1.

II. Juxta S. Pii V ordinationes non permittatur, tempore Miſſarum, aliarumque divinorum officiorum, & concionum ire per Eccleſiam mendicantes, ſeu eleemoſynam petentes, ſed ad fores ii ſiſtant Eccleſiarum. *Anno 1566. §. 6.*

III. A Miſſa audienda non excuſari declaramus puellas poſt contracta ſponſalia de futuro, dum denunciationes fiunt in Eccleſia; nec viduam, cujus maritus recenter obierit, quacunque in contrarium con-

conſuetudine non obſtante, quæ ſi unquam aliquo in loco juriſdictionis noſtræ induceretur, Parochi eam tanquam abuſum curent aboleri, aut ad Nos quamprimum referant ſub pœnis arbitrio. Iidem ex præſcripto Tridentinæ Synodi, & ſacrorum Canonum moneant populos, ut frequenter ad proprias Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedant, & Miſſæ interſint Parochiali, ut ita audiant Dei verbum, & Miſſarum ſolennia cum majori Dei gloria celebrentur, quod Præſulum exemplar Divus Carolus tantopere commendabat.

Seſſ.23. Seſſ.22.c.4.

Act.p.3

IV. Quandoque in Eccleſiis ruralibus ob earum anguſtiam adſtantes omnes nequeunt conſiſtere, & tunc etiam extra adſtantes, ſi attente & religioſe Miſſæ interſint, Eccleſiæ ſatisfaciunt præcepto. Secus vero dicendum, ſi nulla urgente ejuſmodi neceſſitate extra Eccleſiam exiſtant: quod animarum Curatores, & Sacerdotes in præfatis Eccleſiis celebrantes data opportunitate doceant.

CAPUT V.

De Jejuniis.

I. NIhil eſt in Sanctorum virorum geſtis uſitatius, quam jejunium, utriuſque Teſtamenti auſpiciis conſecratum & commendatum. Jejunio enim Moyſes ſe ad recipiendam divinam legem paravit. Jejunium Chriſtus Dominus Evangelicæ gratiæ promulgandæ, & humanæ reparationis operi ad noſtram eruditionem præmiſit. Atque, ut paucis multa in jejunii laudem complectamur, Eccleſiæ attendamus teſtimonium docentis per corporale jejunium vitia comprimi, mentem elevari, & virtutem nobis, ac præmia donari. Omnes ergo & ſinguli fideles, qui vigeſimum primum ætatis ſuæ annum expleverint,

Exod.24.

Digitized by Google

verint, jejunii præcepto ſub mortiferi peccati pæna ſeſe obſtrictos eſſe noverint, niſi eos vel urgens neceſſitas, vel aliqua infirmitatis, aliave rationabilis cauſſa, noſtro, aut ſaltem proprii Parochi, aut Confeſſarii judicio probanda excuſet, atque ab ejuſmodi lege eximat.

Conc. Raben. 2. c. x.

Can. jejunium de conſecr. diſt. 5.

II. Quadrageſimale præſertim jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita ſemper, & ubique ab ipſo Eccleſiæ exordio numeratum eſt, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in priſtinam, quantum benedicente Domino fieri poſſit, obſervantiam revocare cupimus, ad id loquendi formulam uſurpantes Eccleſiarum omnium Magiſtri, ac ſupremi Doctoris, regnantis Pontificis Benedicti XIV. Hinc ejuſdem parendo mandatis, & ratione ipſa ſuadente edicimus & declaramus, eos, quibus in ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque jejunio conſecratis diebus permittitur eſus carnium, ovorum, & lacticiniorum, ob ſolam ciborum qualitatem, legitimamque cauſſam de utriuſque Medici conſilio (non enim de caſu certo graviter affectæ valetudinis hic ſermo eſt) ad unicam comeſtionem ſervandam teneri, & licitis infimul, atque interdictis epulis uti minime poſſe;

litt. Encycl. 22. Auguſti 1741.

III. Ut licite autem apponantur cibi vetiti, jejuniorum tempore, utriuſque Medici ſpiritualis, & corporalis licentia accedere convenit; Parochi ſcilicet, & Doct. Phiſici; dummodo ſummus Pontifex univerſo populo non diſpenſet. Qui ergo legitima urgente cauſſa, ſacra Quadrageſima præſertim adveniente, cibis eo tempore adhiberi conſuetis veſci ob eorum qualitatem nequeat, hac ſuper re a Medico in ſcriptis atteſtationem reportet, & licentiam a Vicario noſtro Generali in loco reſidentiæ, & aliis in locis a proprio Parocho ſubſcriptam.

CA-

CAPUT VI.

De decimis, & oblationibus.

I. QUum decimæ a Deo Optimo Maximo, cujus eſt Terra, & plenitudo ejus, in ſignum univerſalis dominii inſtitutæ ſint, atque ipſius nomine Sacerdotibus, ac Miniſtris Eccleſiæ pro victu, & ut divinæ legi liberius vacare poſſint, debeantur; caveant fideles, ne ſi hoc divinæ ſubjectionis jugum nitantur excutere, tanquam ſacrilegi æternæ damnationis ſententiam in ſe provocent.

Conc. Cabil. n. 2. Ann. 813. Can. 19.

II. Quoniam vero in hac Diœceſi haud certa pars fructuum pro decimis prædictis ubique ſolvi conſuevit, nulla ratione ferendi ſunt, qui hanc ob rem ad nullas ſolvendas decimas obſtrictos eſſe arbitrantur; nec eas ſponte, nec eam requiſiti ſolvunt juxta locorum conſuetudines. Quinimmo, quod deterius eſt, dare volentes aut impediunt, aut diſſuadent. Hiſce hominibus ingrati animi illud commemoramus cum Propheta præceptum Domini: *Inferte omnem decimam in horreum, ut ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam.*

Synod. Filon. C. 32.

Malach. 3

Oblationes ſive rerum, ſive pecuniarum, quæ alicui Eccleſiæ ob ſacras Reliquias, aut imaginem alicujus Sancti fiunt, mandamus ſub pœna excommunicationis deponi apud perſonam tutam conſenſu noſtro deſtinandam, a qua in nullos alios uſus, quam in prædictæ Eccleſiæ, ſacrarumque imaginum reparationem, & ornatum Nobis, noſtriſque Succeſſoribus conſultis expendantur & inſumantur.

CAPUT VII.

De ſacroſanctis Eccleſiis.

I. ET ſi Deus impleat Mundum univerſum immenſitate ſua, potiſſimum tamen & cœlum, & *Pſalm. 10.*
templum ejuſdem ſedes dicitur in Scriptura, ut in illo Davidico: *Dominus in templo ſancto ſuo, Domi-* *Pſalm. 28*
nus in cœlo ſedes ejus. Baſilicarum hinc nomine in eccleſiaſticis hyſtoriis paſſim nuncupantur *ædes ſa-* *Aggæi 1.*
cræ, propterea quod ipſæ Regis Regum, & Domini Dominantium domus ſunt; & quidem domus orationis, & templum, ubi omnes Domino dicant gloriam. Cavendum ideo eſt, præſertim ſacris Miniſtris, ne eorundem incuria domus Dei fiat deſerta, propter quod prohibeantur cœli, ne dent rorem. Nitorem in primis templorum Parochi, aliique Rectores curent, ne falſo ad Deum quotidie dicant: *Domi-* *Pſalm. 25*
ne, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Octavo quoque die ſaltem ſcopis mundentur. Altaria a pulvere, & ſordibus, quibus repleta maximo cum animi noſtri mærore ſæpe propriis oculis vidimus, diligentiſſime cuſtodiant, eorumque mantilia immunda ablui ſtudeant: illaque maculis deturpata, quod non raro contingit, adhiberi minime patiantur ad tremendum Sacrificium, quæ in uſibus profanis rejicerent, atque abominarentur.

II. Summa diligentia ſacras quaſcunque ſupellectiles ſervari volumus, quæ præſertim ſacroſanctæ Miſſæ celebrandæ deſtinatæ ſunt, ne ſint laceræ, & quod intolerabilius eſt, immundæ: pauperem enim cultum non dedignatur divina clementia, abhominationem tamen ex ſordibus emanantem in loco ſancto habet exoſam. Qua ſuper re Vicarii noſtri Foranei ſedulo invigilent, & ſi quæ repererint ſacri Altaris,

 divi-

divinique Sacrificii utenſilia ſordida, lacera, aut quoquo modo indecentia, interdicant, donec abluantur, reficiantur, vel decore aptentur. Contra iſtæc decreta agentes condigna pœna tam Eccleſiarum Rectores, quam Vicarii Foranei plectentur.

III. Sacriſta cujuſque Parochialis Eccleſiæ prima ſaltem Clericali Tonſura ſit initiatus: laicum enim ſine expreſſa licentia noſtra ad hoc officium adhiberi Parochis prohibemus ſub pœna ducatorum decem.

IV. Eccleſiarum oſtia non aperiantur ante auroram; & ſtatim ac reſerata ſint, pulſetur illuceſcente die ſignum ſalutationis Angelicæ. Veſpertino autem tempore poſt horam vigeſimam quartam amplius non pateant, quo tempore functiones omnes Eccleſiæ omnino ſint abſolutæ ſub præfata pœna, aliiſque ad arbitrium: hortantes, ut paulo poſt detur ex turri ſignum pro defunctis ad lucrandas Indulgentias.

Vid. Append. 12.

V. Frumentum, vinum, legumina, ſegetes, poma, alia item quæcunque profana id genus, & indecentia in Eccleſiis nolumus aſſervari ſub pœna interdicti earundem: quod vero ad eccleſiaſticum Rectorem, ſuſpenſionis.

VI. Januas, feneſtras, & quaſcunque aperturas ac rimulas, per quas e domibus privatis ad Oratoria publica, aut Eccleſias novus pateat aditus, ſive proſpectus, omnino interdicimus præſenti conſtitutione: atque interdicta declaramus, donec aditus, aut proſpectus hujuſmodi ſine legitima, canonicave facultate recenter confectus, occludatur, atque amoveatur omnino.

VII. Contractus, ſtrepitus, clamores, aliæque id genus actiones profanæ a ſacris Templis quocunque tempore arceantur. Canonicorum autem Capitula, aut Clericorum conventus habeantur in Sacriſtia, januis clauſis, quo tempore divina officia non celebrantur. Similiter cantus, ſonitus, nundinas, & indecen-

decentia quælibet prope januas Eccleſiarum haberi non permittant earum Rectores, & Vicarei Foranei, ad hoc etiam ſæculare brachium imploraturi.

VIII. Parochi, Confeſſarii, & ſacri Concionatores ſæpe adhortentur viros, ac mulieres, ut, qua decet reverentia, & tremore paveant ad Sanctuarium Dei, ibique verſentur ad preces fundendas, miſericordiamque Domini implorandam. Ceſſent vana colloquia, riſus, & obtutus ſcandaloſi. Quorum corruptelam, & abuſum pluribus in locis noſtræ Diœceſis vigentem omni ſtudio volumus eliminatum.

IX. Curent tandem Eccleſiarum Parochialium Rectores ipſas ſolenni ritu conſecrari, dedicationi maxime venerandæ aptas reddendo: Noſque ipſos certiores ii reddant, quum neceſſaria tantæ ſolennitati paraverint, tantum opus libenter aggeſſuros, utpote qui certam habemus fiduciam bonorum omnium largitorem Deum in beneficiis largiendis faciliorem ſeſe præbere in templis conſecratis, propter multiplices ſacros ritus ac cæremonias pro earum dedicatione ab Eccleſia inſtitutas. *Conc. Mediol. 4. p. 2*

CAPUT VIII.

De immunitate eccleſiaſtica.

I. ECcleſiæ, & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus eſſe conſtitutam, ſacra docet Tridentina Synodus. Quocirca Nos, qui ejuſmodi immunitatem, libertatemque in Diœceſi noſtra ſartam tectam ſervari enixe cupimus, ejuſdem Concilii veſtigia ſequentes omnes & ſingulos Principes, Dominos, & Barones, qui juriſdictionem in ipſa temporalem habent & exercent, rogamus & in Domino obſecramus, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate *Seſſ. 25 cap. 20.*

Digitized by Google

ſunt ditati, eo ſanctius, quæ eccleſiaſtici juris ſunt, tanquam Dei præcipua, a nullis Judicibus, Gubernatoribus, Magiſtratibus, aliiſque quibuscunque eorum Miniſtris lædi patiantur.

II. Eccleſiarum immunitas in eo præcipue ſita eſt, ut aſyli jure, quicunque ad eas confugiant, perfruantur: nec ab eisdem violenter extrahi valeant abſque graviſſimo ſacrilegii crimine, etiamſi confugientes excommunicati ſint, aut infideles, cum privilegium loca ſacra, non perſonas reſpiciat: alias qui confugas extrahere ab Eccleſia attentaverint, graves a jure ſancitas pœnas, præſertim excommunicationis majoris ipſo facto, & Sanctæ Sedi reſervatæ incurrent.

Cap. inter alia hoc tit.

Can. minor, & can. Sacrilegium 17. 17. q. 4.

III. Nonnulli tamen de jure crimino ſi ob enormitatem ſcelerum eccleſiaſtico aſylo ſe tueri non poſſunt; ſed diverſa ratione hac in re procedendum, pro locorum diverſitate, etiam intra fines hujus Diœceſis. Etenim in Civitate Pontiſcurvi, ejus Pago S. Olivæ, ac diſtrictu Sanctæ Sedis ditioni ſubjectis attenditur Gregorii XIV conſtitutio, à cl. me. Benedicto XIII. & Clemente XII declarata, & ampliata: ubi plura recenſentur crimina & ſcelera, quorum rei ab immunitatis beneficio excluduntur. Quod vero ad loca Regio ſubdita dominio, ſervanda ſunt adamuſſim noviſſima Concordata inter utranque Poteſtatem Pontificiam, & Regiam inita: ex quibus & nonnulla ſacra loca eccleſiaſtica immunitate non gaudent, & perplurium rei criminum omnino Eccleſiæ aſylo privantur: itemque alia plura conſtituta ſunt hac de re formam & exequendæ reorum extractionis, & conficiendi proceſſum, ac declaratoriam ſuper competentia, vel incompetentia confugii ſpectantia.

Gregor. XIV cum alias nonnulli. Bened. XIII Ex quo Divina & Clem. XII in ſupremo. Benedict. XIV 8 Junii 1741.

IV. Quoniam autem ſummam exigit Deus in ſacris locis venerationem, ad ſceleſtos deterrendos homines a perpetrandis enormibus facinoribus, quæ ſanctitatem domus Dei violant, Deumque ipſum maximo-

Digitized by Google

ximopere lædunt, excommunicationi latæ ſententiæ Nobis reſervatæ ſubjicimus eos omnes, qui in Eccleſiis, & Oratoriis, eorumque ſacriſtiis, ſcalis, & campanilibus flagitia carnis, homicidia, mutilationes membrorum, vulnerationes audeant patrare: ſalvis de cetero Apoſtolicis ſanctionibus quod ad ea, quæ de Eccleſiarum immunitate locali diſpoſita ſunt.

CAPUT IX.

De ſacris Reliquiis.

I. QUum ſanctorum Martyrum, aliorumque cum Chriſto regnantium corpora extiterint viva Chriſti Domini membra, & Spiritus Sancti templum, etiam dum vitam ipſi mortalem agerent; fides docet catholica ſacris eorundem Reliquiis venerationem deberi & honorem, præſertim quod ipſi ſuas pro nobis preces offerant ſummo Deo; ab eodemque per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſuam ipſorum opem confugientibus gratias impetrent multiformes. Idque Nobis, noſtræque Diœceſis animabus potiſſimum præſtare præcipuum Patronum, ſanctiſſimumque Aquinatenſis hujus Eccleſiæ Antiſtitem Conſtantium, firma fide credimus: quippe qui dum inter mortales verſaretur, hunc Chriſti gregem cuſtodivit ut paſtor, & pater amantiſſimus: ad cælum vero evolans ſacras ſui corporis exuvias hiſce filiis tanquam hæreditatem locupletiſſimam reliquit. *Trid. ſeſſ. 25. c. 2.*

II. Hinc Nos, ut primum ad Aquinaten. hanc Civitatem advenimus, vehementi deſiderio ferventes beatiſſimi Prædeceſſoris noſtri Reliquias cominus colendi, acceſſimus ad perantiquam Eccleſiam S. Petri Apoſtoli, olim Cathedralem, prope mænia ſitam: ubi præfata ſacra lipſana aſſervabantur: quo ex die animum noſtrum ſubiit cogitatio, & ſenſim delibera-

ta

ta voluntas effodiendi Sancti Conſtantii depoſitum, atque in Eccleſia Cathedrali recenter conſtructa honorificentius collocandi.

III. Nonnullis tum elapſis menſibus, quum xv. Kal. Novembris anni 1742. opportunas facultates a ſingulari clementia SS. D. N. Benedicti XIV. Pontificis reapſe ter optimi maximi, dum verſaretur in Arce Gandulfi, ejus vivæ vocis oraculo nacti fuiſſemus, opus ſub die x. Decembris ejuſdem anni privatim, quantum fieri potuit, aggreſſi fuimus. Januis profecto clauſis per aliquot foſſores juſſimus demoliri Altare majus præfatæ Eccleſiæ S. Petri, ſub quo S. Præſulis oſſa ferebantur cuſtodiri, eo translata anno 1664. ex Eccleſia ejus nominis longius extra mœnia erecta, atque ad præſens diruta; Nobiſcum præſentibus duntaxat admodum RR.DD. Luca Antonaccio Canonico Decano Aquinaten. Eccleſiæ, & Petro Paulo Sabbatuccio Canonico Concathedralis Pontiscurvi: necnon perilluſtribus viris D. Marco Antonio Mariano cive Aquinatenſi, & D. Victorio Branco ejusdem Civitatis Camerario. Loco defoſſo, ibi inventa eſt capſa lignea, & intra eam urna marmorea bene clauſa, & quatuor ferreis faſciis colligata, in cujus urnæ anteriori parte ſequens legebatur inſcriptio Gothicis literis inſculpta.

Hic requieſcunt oſſa S. Conſtantii
Epiſcopi Aquinenſis.

Amoto urnæ operculo apparuerunt oſſa prædicta; ex quibus nonnulla tamen ad totius corporis ſtructuram deſiderabantur: præſertim vero Crus, quod ab anno 1670. aſſervatur in theca argentea in eadem Cathedrali Eccleſia, & publicæ fidelium venerationi certis infra annum diebus maxima omnium religione exponitur: quo autem tempore iſtud a reliquis oſſibus

oſſibus fuerit ſejunctum, prorsus ignoratur.

IV. Singula deinde ſacra oſſa, maxima ſpiritus voluptate affecti, propriis inde manibus extraximus, & repoſuimus in capſula lignea intus decenter ornata, exterius pelle rubri coloris circunveſtita: eamque ſera, clavique obſeratam, & circunligatam ſerica rubri coloris victa, quam parvo ſigillo noſtro in cera hyſpanica tribus in locis impreſſo firmavimus, privatim transferri ad Cathedralem Eccleſiam Aquinaten. ſub titulo S.Conſtantii, & ſub Ara maxima collocari juſſimus: eo quidem animo ut ſacras eaſdem Reliquias in ſplendidiori tumulo rite cum publica, ſolennique pompa opportuniori tempore includeremus.

V. Curavimus eadem quoque die everti Aram lateralem a cornu Evangelii memoratæ Eccleſiæ Sancti Petri, qnoniam ſub ea alterum abſcondi depoſitum ferebatur. Diruto Altari inventa eſt ſimilis urna marmorea, abſque tamen lignea capſa, ſuis etiam munita ferreis faſciis: & ſuper ejuſdem operculo inſculpti apparebant ſequentes verſus literis quidem ævum noſtro minime remotum referentibus.

Clauditur in tumulo Præſul Conſtantius iſto,
Orans pro populo faciat convivere Chriſto.

Eo in monumento nonnulla oſſa numero pauciora, & mole minora, quam modo relata eſſent, condebantur; verum nullum apparuit authenticum documentum, quod ea accenſenda eſſent alicui viro ab Eccleſia inter Sanctos relato, multoque minus eidem S. Epiſcopo Conſtantio: ſed potius alteri Conſtantio, ſive Conſtantino (utroque enim nomine eum appellatum fert traditio) hujus etiam Eccleſiæ primo Antiſtiti. Quare ea reponenda duximus in lignea capſula ſimplicis ſtructuræ, bene clauſa, ſigilliſque noſtris in cera hiſpanica coloris rubri impreſſis, duobus in locis ſericam victam circunductam firmantibus: & capſulam ipſam in Sacriſtiæ Cathedralis Eccleſiæ armario cuſto-

ſtodiendam. Totam hanc rei geſtæ ſeriem hic recenſitam volumus, ut illud ad majorem Dei gloriam & Patroni noſtri S. Conſtantii venerationem perpetuæ hominum commendetur memoriæ: utque vel hinc intelligant viri Eccleſiaſtici noſtræ curæ concrediti, Nos maximo ſtudio optare & velle Sanctorum Reliquias, quo par eſt, cultu & honore aſſervari. Et quoniam ſæpe laudatus S. Conſtantius Epiſcopus Aquinaten. Civitatis, ac totius Diœceſis Patronus habetur, ut omnes & ſinguli intra eandem Diœceſim degentes, qui ad horas canonicas tenentur, tam in feſto præfati S. Patroni, quam per ejus octavam juxta Romani Breviarii rubricas, ac S.C. decreta, horas divini officii canonicas de eo perſolvant, hoc ſynodali decreto mandamus & conſtituimus.

VI. Sacræ Reliquiæ cuſtodiantur in thecis argenteis, vel æreis, vel ex aurichalco, aliave decenti materia confectis, & ſigillo Epiſcopali munitis. Item intra Eccleſiam, vel Sacriſtiam in armariis eleganter ornatis, ſera, clavique obſeratis, in quorum parte exteriori depictæ ſint palmæ, aliaque id genus ſigna cum epigraphe: RELIQUIÆ SANCTORUM.

VII. Approbatas tantummodo Reliquias publicæ exponendas venerationi edicimus: eaſque nonniſi Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola albi, vel rubri coloris amictus exponat, oſculandas fidelibus exhibeat, & reponat ſervato Eccleſiæ ritu. Intereaque, donec proſtabunt expoſita, ante easdem accenſa lumina ſplendeant, & alia debitæ reverentiæ ſpecimina exhibeantur. Eadem ſacra lipſana minime exponantur ad quæſtum: eleemoſynæ tamen ſponte a Fidelibus oblatæ ſerventur apud perſonam tutam, ut ſupra præſcriptum eſt. Præterea non aſportentur ad infirmos ex Eccleſia Reliquiæ SS., niſi de licentia noſtra, & tunc omni adhibita veneratione.

Cap. 6. n. 3

VIII. In circumferendis autem iis proceſſionaliter

ter ſervetur decretum S. Rituum Congregationis, quo *In Caſe-*
ſtatuitur tam Clerum, quam populum debere detecto *tan. 2. Se-*
incedere capite in proceſſionibus, in quibus defertur li- *ptembr.*
gnum ſanctiſſimæ Crucis. In aliis autem, in quibus *1690.*
deferuntur Reliquiæ, vel ſtatuæ Sanctorum, Eccle-
ſiaſticos, & laicos eas geſtantes capite ut ſupra omni-
no detecto incedere debere, alios vero Clericos uti
poſſe bireto. Aliud quoque præſcriptum ejuſdem, *23. Martii 1666.*
S. Congregationis mandamus obſervandum, non ge-
ſtandi Reliquias Sanctorum proceſſionaliter per Civi-
tates, aut oppida ſub baldacchino: quod proinde
neque ad pompam, aut ornatum adhibeatur, aut de-
feratur, niſi forte ea eſſent inſignes, inter quas ac-
cenſentur caput, brachium, crus, aut illa pars cor-
poris, in qua paſſus eſt Martyr, dummodo ſit integra, *S.R.C. 8.*
& non parva, & legitime ab Ordinario approbata. *Apr. 1628*

CAPUT X.

De Sacris Oleis.

I. IN ſingulis Parochialibus Eccleſiis aſſerventur Sacra Olea in cornu Evangelii Altaris majoris, in cujus pariete conſtructum pateat armariolum a pavimento ſufficienter diſſitum. Ipſum armarium interius ſerico violacei coloris velo ornetur, ac veſtiatur. Extrinſecus autem pingatur oſtiolum, ſera, clavique occludendum, & iſtæc deſuper extet inſcriptio: OLEUM SANCTUM INFIRMORUM. Sanctum vero Oleum in vaſo argenteo, vel ſaltem ſtamneo, polite elaborato aſſervetur

II. Feria V. in Cœna Domini tam Oleum Infirmorum, quam Catechumenorum, & ſanctum Chriſma
quotannis renovanda ſunt ex Eccleſiæ præſcripto. Sin- *Fab. PP. Ep. 2. ad*
guli itaque Parochi ea die ad Eccleſiam Cathedralem, *Oriental.*
aut aliam pro circunſtantiarum varietate per Nos de-

 ſtinan-

ſtinandam mittant perſonam eccleſiaſticam in ſacris conſtitutam, quæ eorum nomine nova Olea conſecrata recipiat in vaſis ſaltem ſtanneis, nunquam vero in vitreis. Novis ſacris Oleis acceptis, vetera, quæ ſuperfuerint, in lampade ante divinam Euchariſtiam comburantur, & quidquid Olei goſſipio mixti inveniatur, in Sacrario comburatur. Vetus Oleum ſine urgenti neceſſitate prohibemus adhiberi. Quod ſi forte per annum Olea defecerint, guttatim ſuperinfundatur oleum non conſecratum conſecrato, ita tamen ut oleum infuſum minoris ſit ſemper quantitatis, quam conſecratum præexiſtens.

Rit. Rom. de Sacr. Oleis.

S.C.Ep. 20. Maii 1590.

C A P U T XI.

De Indulgentiis.

I. Indulgentiarum nomine in Eccleſia Dei intelligitur abſolutio a reatu pœnæ Deo debitæ ob peccatum, data extra Sacramentum per applicationem ſatisfactionum, quæ in Eccleſiæ theſauro continentur. Quum vero iſtæc abſolutio, vel cum pœnarum omnium, omniſque reatus condonatione donetur, vel tantummodo cum alicujus pœnæ remiſſione, hinc in Eccleſia uſus Indulgentiæ plenariæ, & non plenariæ recte invalit. Etenim per plenariam totus pœnæ reatus, qui poſt culpam condonatam remanſit, omnino tollitur. Indulgentiæ vero non plenariæ beneficio aliqua pars, ſcilicet tot dierum, vel annorum remittitur, quot concedentis voluntas, & poteſtas conceſſerit. Ex hujus intelligentia doctrinæ eruitur, Indulgentiam quadragenarum eam eſſe, qua pœnitentia quadraginta continuis diebus in jejuniis, aliiſque laborioſis operibus agenda condonatur.

tot. tit. de pænit., & remiſſ. extra & in 6.

II. Indulgentiarum itaque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem ſacrorum Conciliorum, præ-

Decr. de Indulg.

ſertim

Digitized by Google

ſertim Tridentini authoritate commendamus. Locupletiſſimum enim earundem theſaurum unigenitus Dei Filius carnem noſtram aſſumens, & ſummum ſui ſanguinis pretium perſolvens, militanti Eccleſiæ acquiſivit: cui theſauro, valoris cæteroquin infiniti, Deiparæ ſemper Virginis, & Electorum omnium merita divitias congeſſere. Ex hoc ærario nobis reatui pœnæ luendæ obnoxiis per Indulgentias juxta earum conceſſionem donatur quidquid ad divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum deeſt, perinde ac ſi paſſiones, & merita Chriſti Domini, ejuſque Sanctorum noſtra forent.

III. Ne tamen ullæ unquam confingantur apocryphæ Indulgentiæ, quarum longam ſeriem contexit Sacra Congregatio; mandamus proinde novas Indulgentias etiam impreſſas a nemine ſive ſeculari, ſive Regulari ſine noſtra in ſcriptis licentia publicari ſub pœnis arbitrio. Sub iisdem pœnis præſcribimus, ut earundem ad certum tempus Altari, ſive Eccleſiæ conceſſarum adnotetur in patenti Sacriſtiæ, aut reſpective Eccleſiæ loco dies, menſis, & annus, quibus illæ emanaverint, ut facile dignoſcatur, quo tempore expirent. Abuſus omnes, & pravos quæſtus pro iis conſequendis omnino abolendos ſtatuimus, pœnis & cenſuris propoſitis.

Decr. 7. Martii 1678.

Conc. Mediol. 1. p. 1.

IV. Spirituali tandem utilitati populi noſtræ curæ commiſſi pro viribus conſulere cupientes, recenſebimus in appendice hujus Synodi plures Indulgentiarum ſpecies, unicuique magis obvias: ſingulos Chriſti fideles interea hortando, ut easdem lucrari ſtudeant, redimendo tempus promeritarum pœnarum in hiſce diebus ſalutis.

CAPUT XII.

De Beneficiis eccleſiaſticis.

I. BEneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeundum conſtituta, iis duntaxat Nos collaturos, qui Eccleſiæ utilitati, & ſpirituali fidelium bono inſerviunt, declaramus. Nec unquam Noſmetipſos eorundem beneficiorum etiam ſimplicium collationem ordinariam facturos, neque pro iis a Sede Apoſtolica impetrandis approbationem, aut teſtimonium ad Apoſtolicam Datariam daturos, niſi ad favorem ejus, qui inter alia a ſacris Canonibus præſcripta requiſita illud in primis præferat, quod ſit ipſe idoneus ad Sacramentales Confeſſiones audiendas, vel expectatio ſaltem, magnaque ſpes in eo appareat talem idoneitatem comparandi; quamvis beneficio conferendo tam ex lege fundationis, quam ex generali jure onus hujusmodi non fuerit adnexum: ſatis enim Noſmetipſos experientia docuit, ad multam hujus Diœceſis meſſem colligendam, purgandamque paucos admodum inveniri operarios in iis præſertim Eccleſiis, & locis, ubi divino huic muneri nulla eſt merces, nec temporale ſtipendium attributum.

II. Patroni autem ad beneficia, in quibus canonicum, legitimumque habent jus præſentandi, eos tantummodo nominent ac præſentent, quos meritorum, Eccleſiæque utilitatis duntaxat habita ratione idoneos agnoverint, aliter Nos præſentatos ut indignos prorſus rejiciemus. Iidemque Patroni caveant, ne in perceptione fructuum & obventionum ad Eccleſias, beneficiaque de jure patronatus ipſorum ſpectantium, ullimode ſeſe ingerant: nec unquam eosdem redditus vel integros, vel eorum partem uſurpent: nec quod gravius eſt, ipſorum beneficiorum præ-

Syn. Filun. c. 50.

prædia, aut bona ſemel Deo jam ſacra occupent. A ſimoniacæ item labis ſuſpicione tam patroni, quam nominandi & præſentandi, & quicunque alii prorſus abhorreant: nec futilibus excuſationibus a quæſtus ambitione, & avaritia mutuatis ſibi ullo pacto blandiantur, memores, quod divinus Judex ſcrutaturus ſit Jeruſalem in lucernis.

III. Quum aliqua Parochialis Eccleſia vacaverit, propoſitis de more edictis, ac tranſacto præſtituto tempore, examen, ſive concurſus juxta praxim Almæ Urbis fiat coram tribus Examinatoribus Synodalibus, Nobiſque, vel noſtro Vicario Generali præſentibus. Qui tres quidem Examinatores immediate ante examen habendum ſorte eligantur ex ſex, vel pluribus acceſitis. Ipſi autem ſic electi ſolertem inquiſitionem inſtituant ſuper doctrina & idoneitate ſingulorum concurrentium, cæteris etiam adſtantibus Examinatoribus. Prætereaque certum temporis ſpatium, intra quod quæſtionibus in ſcriptis faciant ſatis, & conciunculam componant, aſſignent examinandis: aliaque omnia ſervent, quæ in littera encyclica S. Congregationis Concilii præſcripta fuere. *10 Januarii 1721.*

IV. Cæterum Examinatorum partes non erunt tantummodo in peritia literarum, doctrinaque concurrentium agnoſcendæ: ſed maxime perpendant etiam & renuncient, quos ipſi idoneos judicaverit moribus, gravitate, prudentia, aliiſque ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis qualitatibus, uti præſcribit ſancta Tridentina Synodus, & fuſius eam explicando nuper mandavit conſtitutione ſua SS.D.N. Benedictus PP. XIV, qui reſervatam voluit, ut alias idem Concilium decreverat, uni Epiſcopo electionem dignioris inter approbatos. Idemque ſapientiſſimus & vere maximus Pontifex conſultiſſime admonet imparem doctrinæ merito concurrentem, qui tamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Eccleſiæ *Seſſ. 24. c. 18.* *14. Decembr. 1742.*

cleſiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellat, ſufficienti cæteroquin præditum ſcientia, præferri debere aliis, qui ſola doctrinæ indagine præſtare inveniantur.

CAPUT XIII.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

I. BOna Eccleſiæ *fidelium vota*, *pretia peccatorum*, *& patrimonia pauperum* paſſim ſancti Patres appellant. Hinc Nos ſæpius doluimus plurima ejuſmodi bona dilapidari, alienari, atque deteriorari ob incuriam, & fraudem multorum, qui humano affectu, effrænataque avaritia in tantum piaculum abripiuntur, omni jure reprobatum, & multiplici pœnarum genere ab Eccleſia mulctatum. Quapropter eccleſiaſticarum rerum noſtræ Diœceſis indemnitati conſulere, necnon ſpirituali animarum ruinæ volentes occurrere, omnium oculis ſubjicimus, ſervarique mandamus, quæ in extravaganti *Ambitioſæ hoc tit.* præſcribuntur. In primis autem excommunicatione majori ipſo facto plectuntur alienantes Eccleſiæ bona immobilia, vel mobilia pretioſa, ſine utilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, non adhibitis præſcriptis ſolennitatibus aſſenſus Apoſtolici, & ſubhaſtationis. Eidemque excommunicationi ipſo etiam jure ſubjiciuntur bona ſic perperam alienata recipientes: atque inſuper ipſe alienationis contractus nullus & invalidus declaratur.

II. Alienationis nomine hic intelligitur quæcunque dominii, & poſſeſſionis translatio, conceſſio in emphyteuſim, locatio ad longum tempus, nempe ultra triennium, hypotheca, vel pignus, ceſſio, tranſactio litis dubiæ, ceterique id genus contractus.

cap. nulli, & extra hoc titul. inter com.

III. Ubi Ordinarii authoritas locum habet, quæ ex immemorabili hujus Diœceſis conſuetudine ultra ſum-

ſummam quinquaginta ducatorum monetæ hujus Regni non extenditur, præfatæ alienationes nequaquam fiant abſque licentia noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis obtinenda ſub iiſdem expreſſis pœnis.

IV. Emphyteuſes, permutationes, venditiones, contractus cenſuales, aliique id genus non inſtituantur a Capitulis, Præbendatis, & Beneficiatis, niſi præcedentibus capitularibus concluſionibus, ac votis per ſecreta ſuffragia, ſi opus fuerit, ferendis, & in libro capitularium concluſionum adnotandis, præter alias de jure requiſitas ſolennitates: etiamſi agatur de bonis ad particularem alicujus præbendam, vel beneficium ſpectantibus, ſub pœnis ſuſpenſionis, & excommunicationis reſpective, aliiſque ad arbitrium, ultra nullitatem contractus.

V. Enunciati præterea contractus non ineantur cum propriis conſanguineis, aut affinibus uſque ad tertium gradum incluſive, ne per ſuppoſitas quidem perſonas, niſi ſecus Nobis pro Eccleſiæ utilitate expedire videatur, ſub præfatis pœnis.

VI. In emphyteuſim immobilia quæcunque bona eccleſiaſtica non concedantur, niſi evidens plane in Curia noſtra probanda concurrat earundem Eccleſiarum, vel piorum locorum utilitas, aliaque ſerventur, quæ in præfata extravaganti *Ambitioſæ* demandantur; & tunc nunquam in perpetuum, neque cum ſpe renovationis in favorem ejuſdem emphyteutæ, ſive familiæ, vel hæredum, niſi Apoſtolicum ad hoc impetretur indultum, vel Nos alias ex æquitate expreſſa in conſtitutione Alexand. III judicaverimus: ubi Terras illas, quæ de ſylvis extirpatis ſunt arabiles factæ, ſub annuo cenſu iis hæreditario jure iterum tradi poſſe indulget, a quibus ſuo ipſas, vel parentum ſuorum labore conſtiterit fuiſſe extirpatas. *cap. ad aures hoc tit.*

VII. Ad bona Eccleſiarum ſpectantes arbores fructiferę non incidantur, ſub pęnis in memorata decreta expreſſis.

VIII.

VIII. Nequeant Canonici, Rectores, & Beneficiati pecuniam, quæ ipſis Eccleſiis, beneficiis, aut præbendis ex capitali ſuperfuerit, ſive quæ provenerit ex piis legatis, ex capitalibus reſtitutis cum onere impendendi in bona ſtabilia, vel cenſus, ſeu annuos redditus, apud ſe retinere, ſed eam penes tutam perſonam, Nobis conſultis, deſtinandam deponant infra tres dies ſub pœna excommunicationis ipſo facto Nobis reſervatæ. Pecunia autem ſic depoſita non reinveſtiatur, niſi accedente capitulari conſenſu ſupra explicato, & licentia noſtra in ſcriptis gratis concedenda, ſub eadem pœna.

IX. Et quoniam comperimus magna Eccleſiis incommoda ac damna idcirco contingere, quod nonnulli quaſi perpetuo, & veluti jure ſuo earundem bona plurimos annos adminiſtrent; ſynodali hoc decreto interdicimus, ne procuratores eccleſiaſtici Locorum piorum eccleſiaſticæ jurisdictioni etiam in temporalibus omnino ſubjectorum diutius uno anno in officio maneant ac perſiſtant, noſtro non accedente conſenſu. Ipſique expleto anno teneantur reddere rationem adminiſtrationis, quavis conſuetudine in contrarium non obſtante.

C A P U T XIV.

De Inventariis, & Archiviis.

I. QUum rerum Eccleſiæ tuitio & conſervatio potiſſimum pendeat e monimentis & ſcripturis, quæ Judicis animum debent inſtruere de titulo æque ac poſſeſſione Eccleſiarum; mandamus Canonicis, beneficiatis, locorumque piorum eccleſiaſticorum adminiſtratoribus quibuſcunque, ut infra ſex menſes a die publicationis præſentium conſtitutionum rite conficiant legalia Inventaria bonorum mobi-

bi-

bilium, ſtabilium, ſemoventium, ac jurium ad ſua reſpective beneficia,& Eccleſias ſpectantium ſub pœna vigintiquinque ducatorum, & exhibeant infra præſcriptum tempus in Cancellaria noſtra, retento ſibi eorundem authentico exemplo in propriæ Eccleſiæ archivio.

II. Ad ſingularum hinc Eccleſiarum ſervanda monimenta, archivium, ubi non eſt, inſtituatur; vel in Cathedralium, & Collegiatarum ipſarum Sacriſtiis, vel alio opportuniori loco. Parochi vero vel in Sacriſtia, vel in propria domo parent armarium fera, & clavi bene cuſtoditum, deſuper appoſita inſcriptione: *Archivium Parochiale*. Et obeuntibus Parochis hæredes eorum teneantur integras ſcripturas, & bona ad Parochialem Eccleſiam ſpectantia confeſtim tradere Æconomo, & iſte gradatim novo Rectori ac Parocho. Aſportantes autem, detinentes, occultantes,vel occupantes ejuſmodi ſcripturas, ſciant excommunicationem latæ ſententiæ Nobis reſervatæ incurſuros:ut habetur in tabella caſuum reſervatorum.

III. In Epiſcopali archivio noſtræ Curiæ proceſſus, atque ſcripturæ omnes ad Menſam, & Diœceſim pertinentes ordinate reponantur: earumque Inventarium authenticum confici mandamus quotannis per Curiæ noſtræ Cancellarium, ipſiusque manu ſubſcribi, quod apud Nos erit cuſtodiendum. Quicunque vero proceſſus, aut quaslibet ſcripturas detinuerit, aſportaverit, occultaverit, vel occupaverit, ipſo facto anathemati Nobis etiam reſervato ſubjicitur.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De collatione Caſuum conſcientiæ, & ſacrorum Rituum.

I. PArochorum, & Sacerdotum ad audiendas confeſſiones Sacramentales deputatorum diſciplinæ tenemur potiſſimum conſulere, a quorum vitæ probitate, & doctrina maxime pendet ceterorum Chriſti fidelium ſalus æterna. Cumque eorumdem munus exigat, ut magis magiſque in ſacra doctrina ac ſcientia præſertim moralis Theologiæ proficiant, qua pœnitentium animas a peccatorum laqueis ſolutas in viam dirigere ſalutis, atque Judicis ſimul, & Medici officio recte fungi valeant; præſenti conſtitutione mandamus in ſingulis locis noſtræ Diœceſis, ubi ſufficiens virorum Eccleſiaſticorum numerus recenſeatur, inſtitui Congregationem Caſuum conſcientiæ, & ſacrorum Rituum, haberique ſingulis hebdomadis certa die, & hora ſtatuendis, ut ad præſens Deo propitio fit. Cui ſub pœna ſuſpenſionis præcipue teneantur prædicti Parochi, & Confeſſarii intereſſe: niſi aliquo præpediantur impedimento rationabili, quod aperire debeant Congregationis Præfecto, dummodo id raro contingat.

II. Ejuſmodi Congregatio, ſeu moralium Caſuum, & Rituum ſacrorum collatio, ſequentem in modum habenda erit, ex almæ Urbis praxi, quam ſumma regnantis Pontificis Romani ſapientia, & vigilantia conſtituit. Videlicet: Hebdomada præcedenti proponatur caſus moralis, in hebdomada immediate ſequenti reſolvendus & explicandus: eoque intermedio tempore publice in Sacriſtia Majoris Eccleſiæ cujuslibet loci proſtet in albo affixus. Præſtituta die, ſorte eligendus erit, qui propoſitum dubium ex-

explicet: & unus, vel alter, qui datæ explicationi difficultatem aliquam objiciat, ut ſinguli ad reſpondendum, & objiciendum parati accedant. His habitis, conferentiæ Præfectus per Nos ſingulis in locis deſtinatus ut infra, vel deputandus in poſterum, ſi quid voluerit, ſuperaddat atque edifferet. Qui ſane Præfectus, vel alius Deputatus cuſtodiat librum, ubi intereſſentes erunt deſcribendi, eumque ad Nos ſingulis quadrimeſtribus tranſmittat ſub pœnis arbitrio noſtro reſervatis.

III. Poſt enucleationem caſus conſcientiæ, idem Præfectus aliquam partem Rubricarum generalium de Miſſa celebranda declarabit. Et quia experientia conſtat quamplures ſacros Miniſtros parum attendentes ſummi Dei majeſtatem ac dignitatem, ad cujus intimum ſunt famulatum addicti, in Choro, in Altari, & reliquis officiis eccleſiaſticis ita inepte ſe gerere, ut in cordatorum, piorumque hominum animos ſcandalum inferant; idcirco mandamus omnibus & ſingulis de Clero, qui ſacris initiati fuerint, etiam Canonicis, ut interſint qualibet hebdomada præfatæ Congregationi, enunciata contra inobedientes propoſita pœna, niſi quem ex permiſſione vel noſtra, vel Præfecti aliquando abeſſe rationabili ex cauſſa oporteat.

Præfecti Congregationis bujuſmodi, quos in præſentia conſtituimus, ſunt.

In Civitate Aquinate.

Admod. R. D. Alexander Magnus Capozzella Archipresbyter.

Pontecurvo.

Pater Joſeph Sarro Ordinis Prædicatorum.

Roccæſiccæ.

Pater Jacobus Clara Cong. Doct. Chriſt., in Seminario noſtro Sacræ Theologiæ Lector, ejuſque ſucceſſores in officio.

In reliqua Diœceſi.

Singulorum Locorum Parochi.

CAPUT XVI.

De Proceſſionibus.

I. QUemadmodum ſacrarum uſus ſupplicationum, ſive proceſſionum, ſi recte juxta S. Eccleſiæ Ritus & inſtitutionem ineantur, in Dei gloriam cedit, & ſpiritualem populorum utilitatem; ita ſæpe fit, ut multorum iniquitate vertatur in divini cultus contemtum, & Chriſti fidelium ſcandalum. Ad cujuſmodi avertenda mala mandamus nullas ſupplicationes fieri nocturno tempore, abſque expreſſa licentia noſtra, ſub pœna ſuſpenſionis reſpectu Presbyterorum intervenientium: diurno vero tempore nullas alias volumus haberi præter conſuetas, quæ ſcilicet certis, ſtatutiſque diebus quolibet anno fiunt, ſub pœna vigintiquinque ducatorum.

II. Quoniam autem ſummo cum animi noſtri mærore certo reſcivimus, nonnullos filios iniquitatis, non ut Dei iram placarent, hujuſmodi interfuiſſe proceſſionibus, ſed potius, ut eam provocarent, incedendo cum armis, quibus alios offenderent; præſenti conſtitutione univerſis interdicimus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, Nobis reſervata, incedere in ſacris ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus cum armis vetitis; ſive ii ſint presbyteri, & clerici, ſive laici eccleſiaſtico habitu, vel Confraternitatis cujuſcunque ſaccis reſpective induti.

CA-

CAPUT XVII.

De Exequiis, & Sepulturis.

I. IN Parochorum Diœceſis noſtræ mentem revocamus quidquid hac ſuper re Ritualis Romani regulis ſanctiſſime præſcriptum eſt, nonnullis, quæ ſequuntur, additis ad earundem uberiorem explanationem. Cadavera extra domum non efferantur de mane ante lucem, neque de ſero poſt datum ſignum ſalutationis angelicæ hora vigeſima quarta, niſi de licentia noſtra ſpeciali, ſub pœnis arbitrio. Parochialis Eccleſiæ Rector æris campani ſonitu præmiſſo, aut alius Sacerdos de illius licentia ſuperpelliceo, & ſtola indutus cum altero ſaltem ſocio ſuperpelliceum pariter habente (quando alii presbyteri, & clerici non advocentur), præeunte, crucemque deferente clerico, ad defuncti domum accedat: cadaver, antequam efferatur, aqua benedicta aſpergat, & pſalmos cum ſocio, & aliis, ſi interſint, alternatim, ac devote recitans per viam funus ducat uſque ad Eccleſiam, cum cereis accenſis.

II. Pium ejuſmodi ritum etiam in funere pauperum adhibendum hortamur, qui gratis ſepelliendi ſunt, proprii ſcilicet Parochi ſumtu, aut alicujus Societatis, vel Eccleſiæ, ad quam ex conſuetudine ſpectat: ſi nihil illi, aut ita parum reliquerint bonorum, ut propriis humari non poſſint impenſis. Corpora defunctorum etiam parvulorum ſepulturæ non tradantur, niſi duodecim ſaltem elapſis poſt mortem horis: qui vero morte repentina deceſſerint, poſt viginti quatuor horas volumus tumulari.

Idem Rit. Rom.

Syn. Fil. cap. 54.

III. Pro exequiis ea ſervetur taxa emolumentorum, quæ laudabiliter viget in ſingulis locis hujus Diœceſis. At ſepultura minime retardetur, ſi hære-

dum

Digitized by Google

cum avaritia ḡenegentur, quæ in vim modo dictæ conſuetudinis ii debent emolumenta præſtare pro exequiis: ſed ipſis expletis permiſſum eſt, implorato etiam Judicis competentis officio, quidquid juris fuerit, expetere. Contra hujus formam ſtatuti Parochos agentes gravi pœna afficiemus.

IV. Pavimentum Eccleſiæ, aut Sacriſtiæ nemo pro humando quovis cadavere audeat perrumpere, noſtra non accedente licentia, ſub pœna interdicti ejus Eccleſiæ ipſo facto. Sub eademque pœna pariter prohibemus, Nobis inconſultis, confici nova ſepulchra pro particulari aliqua tantum familia.

V. Abuſus, aut ſuperſtitionum ſpecies, ſi quæ contingant, circa funera, animarum Curatores in ſuis reſpective Paræciis, aliique, ad quos ſpectat, curent omnino avertere: & ubi neceſſe fuerit, ad Nos referant, ne ullo unquam tempore introducantur. Et quoniam cum Apoſtolo *nolo vos contriſtari de dormientibus, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*, a cadaverum aſſociatione arceantur & fœminæ, & viri ejulantes. Cujuſmodi ejulatus & planctus eo minus Parochi fieri ſinant intra Eccleſiam, dum exequiæ celebrantur: ſique pervicaciter quis, vel qua noluerit ſeſe ab illis continere, ſuſpendantur funera.

I. Ad Teſſal. 1.

Conc. Mediol. 4. p. 2. hoc titul. Syn. Filon. loc. citat.

VI. Ut autem quod ex antiquiſſimo, laudabilique more hujus Diœceſis ſervatum eſt, in poſterum etiam non prætermittatur, ſtatim ac aliquis Sacerdos ab hac luce migraverit, ſingulos, audita ejus morte, qui presbyteratus ordine inſigniti ſunt, hortamur in Domino, ut Miſſam unam quantocyus pro ejus anima celebrent. Quamobrem mandamus Vicariis Foraneis, ut Vicarium noſtrum Generalem certiorem reddant de obitu Sacerdotum reſpective, qui per univerſam Diœceſim idipſum presbyteris omnibus curet ſignificari.

Eodem Syn. cap. 55.

CA-

CAPUT XVIII.

De anniverſario conſecrationis Epiſcopi.

SOlennitates dedicationum Summorum Sacerdotum quotannis eſſe celebrandas ex antiquiſſimis Eccleſiæ moribus compertum eſt, eademque celebritas antiquitus *Natalis Epiſcopi* vocabatur. Dignum plane & juſtum eſt, ut quemadmodum Epiſcopus pro peccatis populi quotidie placationis hoſtiam Deo offert, ſic viciſſim in die ſaltem conſecrationis ipſius annua populus vota ſua, & communia ſacrificia offerat pro eo. Nedum ergo dilectiſſimum noſtrum Capitulum Cathedralis Pontiſcurvi hortamur in Domino, ſed ſingulos etiam Eccleſiarum Collegiatarum Rectores, & aliarum noſtræ Diœceſis, ut exurgant in adjutorium noſtrum pro graviſſimo cunctarum animarum pondere Nobis impoſito. & quotannis die 28 Januarii, quo ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Fr. Joanne Antonio Titulo Sancti Martini in Montibus Presbytero Cardin. Guadagno Urbis Vicario, adſiſtentibus Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis Ferdinando Maria de Rubeis Archiepiſcopo Tharſenſi, & Joanne Andrea Tria Archiepiſcopo Tyrenſi in Eccleſia Sancti Ignatii Societatis Jeſu, recurrente Dominica Sexageſimæ, anno 1742 conſecrati fuimus, unam miſſam ſolennem, vel ſaltem privatam in ſuis reſpective Eccleſiis de anniverſario conſecrationis Epiſcopi celebrent, & divinam clementiam pro Nobis exorent, monito prius populo, ut ſuas pariter preces ad Deum effundat.

Finis ſecundæ partis.

PARS

PARS TERTIA

De Miniſtris Eccleſiaſticis, & Officialibus.

CAPUT I.

De Canonicis, & Præbendatis.

I. QUotquot in eccleſiaſtici miniſterii gradibus ſunt conſtituti, generali appellatione ob id Clerici nuncupantur, quod in ſortem hæreditatis Domini venerint; & quod ipſe Dominus ſors eorum ſit. Id maxime convenit Canonicis, qui Sanctuarii ſervitio arctius adſtricti, Cleri præcipua portio habentur, & ſunt: præſertim ſi ſint Cathedralium Eccleſiarum Canonici, qui in ſacris canonibus Eccleſiæ Senatus appellantur. Ea propter morum integritate in primis ipſi pollere debent, veſtitu decenti tam in Eccleſia, quam extra aſſidue utantur, ab illicitiſque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant; & vitam, moreſque ſuos ad canonum normam, unde denominationem deſumunt, pro viribus ſtudeant componere.

Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.

Jo: Molan. tract. de Canon.

II. Ut autem, qua par eſt aſſiduitate ac ſtudio propriæ Eccleſiæ, cujus redditus percipiunt, Canonici

omnes

omnes etiam Collegiatarum inſerviant; apud ipſam juxta præſcriptum ſacri Concilii Tridentini cogantur reſidere: A Diœceſi proinde abſentes abſque licentia noſtra, etiam per tempus ab ipſo Concilio permiſſum, pœna plectentur arbitraria. *loc.cit.*

III. Eligantur ſingulis annis Officiales Capituli, præſertim Punctator, de ipſius gremio, qui ſumma fidelitate ac diligentia commiſſum ſibi munus exerceat, nulla acceptione habita perſonarum. Item Chori Præfectus, ubi per electionem non conſtituitur, is ſit, qui in eo primus ſedet. Habeatur liber, ubi quotidie adnotandæ erunt punctaturæ; & idem Punctator cum primum ad hujuſmodi fuerit officium electus, teneatur juramentum præſtare fidelitatis de munere ſuo obeundo. *Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. de reform.*

IV. Canonici quotidie, ſive certis diebus juxta cujuſque Eccleſiæ ſtatuta perſolvant in Choro canonicas Horas, & Miſſam cantent Conventualem ſervatis Rubricis Miſſalis Romani. Nequaquam vero in Sacriſtia, ut alicubi hactenus factum comperimus, divinum officium recitare audeant: ſed utique in ſtallis choralibus, ſemperque induti habitu chorali, inſigniaque, & ornamenta propria geſtantes, ſub pœna punctaturæ, non aliter quam ſi abeſſent. *V. Appendic. n. VII.*

V. In divinis laudibus recolendis, eos memores eſſe volumus ſe in conſpectu Dei pſallere, qui juſtitias judicabit; iiſque ſanctiſſimi Præſulis Caroli Borromæi monita ad ſuos Canonicos ſubjicimus: *non pigri, (* inquit *) non ſomnolenti, non oſcitantes adeſtote: non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu; attente, ſtudioſe, rite, pie, religioſe divinas laudes concelebrate.* Illudque in primis (quod ſæpe dolentes animadvertimus) cavendum, ne pſalmi, & hymni, & preces curſim, præcipitanter, conciſe recitentur: hujuſmodi enim orationem Deus non audit, cui qui orat non intendit: & non raro fit, *S. Gregor. PP.*

ut qui Deo offerre debeant ſacrificium laudis, fructumque labiorum ſuorum, per divinorum officiorum contemtum orationem ſibi vertant in peccatum. Quæ ne fiant ullo tempore, Canonicis noſtris proponimus exempla choralis diſciplinæ, quæ viget in ſacroſancta Baſilica S. Mariæ Tranſtyberim de Urbe, cui diu Nos fuimus addicti, & cujus amore vel abſentes quam maxime tenemur. Illius nanque Reverendiſſimi Capituli, Canonicorum, & Cleri religio, ſtudium, & gravitas in divinis officiis accurate perſolvendis tanta eſt, & tantopere fulget, ut non modo hujus Diœceſis, & cujuſcunque alterius Capitulis documento eſſe valeat; ſed reliquarum etiam Urbis Romanæ Baſilicarum Choris adſcripti non diffiteantur eandem Eccleſiam ſibi in ejuſmodi laudibus antecellere, ſibique ipſis, & ex toto Orbe confluentibus maximam afferre admirationem.

VI. Ad Chorum tarde venientes, vel ab ipſo abſque rationabili cauſa ante expletum officium recedentes, punctari volumus pro negligentiæ & culpæ ratione.

Syn. Filon, c.33

VII. Quodlibet Capitulum infra duos menſes a præſentis publicatione decreti provideat ſibi de libro, ubi adnotari mandamus quaſcunque Capitulares reſolutiones ſub pœna ducatorum decem.

VIII. Quæ de Canonicis præſcripſimus, ſimili ratione intelligenda ſunt de Præbendatis, Presbyteris, & Clericis cuilibet Eccleſiæ receptivæ admiſſis cujus ſervitium ſi negligant, vel ab ea abſint contra peculiaria ſtatuta, aut laudabilem conſuetudinem noſtra non obtenta licentia, pro modo negligentiæ, vel abſentiæ punctentur: ac rata fructuum punctis correſpondens accreſcat omni ſemota colluſione ceteris Presbyteris, & Præbendatis intereſſentibus, præter alias pœnas arbitratu noſtro infligendas.

Ead. Syn. cap. 39.

IX. Quoniam vero pleræque Eccleſiæ hujus Diœceſis

ceſis ſuis carent ſtatutis & regulis, quibus recte regantur: eamque ob rem earumdem famulatus magno cum divini cultus detrimento ſæpius negligitur mandamus omnibus Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, Receptivarum, & Conventualium Capitulis, & Collegiis reſpective, ut ſua ſi quæ habent ſtatuta, Nobis quamprimum præſentent examinanda & approbanda: earum vero Eccleſiarum, ubi nullatenus ſint, Rectores cum interventu totius Capituli, vel Collegii, infra ſex ſaltem menſes poſt publicationem præſentis Synodi componant & rite conficiant; ſub capitibus diſtinctis exprimendo, quæ ipſarum ſint Eccleſiarum, & Capitulorum origines, fundationes, inſignia, jura, conſuetudines, onera, & munera; atque ad Nos pariter deferant infra præſcriptum tempus, ut accurato examini ſubjiciantur; & quatenus ad ſanctioris diſciplinæ obſervantiam conducant, approbentur.

CAPUT II.

De Parochis.

I. IN partem ſolicitudinis noſtræ paſtoralis adſcitos eſſe Parochos quidem agnoſcimus, qui certo Chriſti ovium numero præpoſiti eas vigili cura, intentoque ſtudio a noxiis amovere paſcuis, a vitiis videlicet debent deterrere: atque ad audiendam Chriſti vocem, eumque ſequendum excitare, ut quum apparuerit Princeps Paſtorum, percipiant immarceſcibilem gloriæ coronam. Et quoniam munere ſuo recte fungi nequaquam valet Animarum Rector, ſi ovili ſibi commiſſo præſens non adſit; Parochis noſtræ Diœceſis vehementius inculcamus, quæ ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi, & pluribus ſacræ Congregationis Concilii decretis ſuper eorum reſidentia præſcripta ſunt

Petri I. cap. 5.

Seſſ. 23. cap. 1. de reform.

ſunt, ex quibus tenentur intra limites Paræciæ reſidere, etiamſi Parochialis Eccleſia proprias ædes non habeat: ad idque compellendos eoſdem eſſe, uti præſenti conſtitutione compelli volumus, Sacra eadem Congregatio declaravit. Quapropter ipſis prohibemus, ne a ſua abſint Parochia ultra biduum ſine expreſſa licentia noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis, etiamſi Œconomum ceteroquin idoneum, ſive Viceeuratum relinquant: quem etiam in caſu obtentæ licentiæ convenit a Nobis approbari, ſub pœnis ab eodem Tridentino ſtatutis, aliiſque ad arbitrium noſtrum, noſtrorumque Succeſſorum.

Fulginat. 19. Nov. 1718.

II. Multiplici vitæ pabulo Curator Animarum oportet, ut eas nutriat ad ejuſdem Concilii normam; Sacrificii videlicet, & Sacramentorum ſubſidio, divini verbi prædicatione, & bonorum operum exemplo. Prima igitur parochialis muneris cura eſt Sacrificium pro populo offerre, & applicare ſingulis ſaltem Dominicis, & feſtis de præcepto: a quo onere nec reddituum tenuitas, nec contrarius uſus valet eximere ex declaratione Sacræ Congregationis, his verbis edita. *Alias Sac. Cong. Concilii cenſuit Parochos teneri pro parochianis ſacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus; ſi vero tenues, ſaltem diebus feſtis.* Haſce pro populo Miſſas mandamus deſcribi ſub propriis diebus, quibus celebrantur, ut in ſancta Viſitatione de eis ratio reddatur.

In Lateran. 8. Maii 1681. V. Appendic. n. VII

III. Per ſeipſos, niſi legitimo detineantur impedimento, Parochi adminiſtrent Sacramenta. Diebus autem feſtis de præcepto, & aliis quibuſdam, quibus populus frequens convenit ad Eccleſiam, præſto ſint ad excipiendas Sacramentales Confeſſiones, nec expectent quod vocentur a pœnitentibus, qui ſæpe, opportunitate non occurrente, tædio affecti diu a ſaluberrimo Pœnitentiæ lavacro ſemoti ſordes animæ non

curant

curant abluere in diem putreſcentes. Infirmoſque præcipue juvare Sacramentorum auxiliis ſatagant. Quamobrem quum primum quempiam Curator in propria Paræcia noverit ægrotare, ultro ad eum accedat, & quum opus fuerit, neceſſaria miniſtret Sacramenta: præſertim vero ægrotum ad Sacramentalem Confeſſionem adhortetur ab ipſo initio morbi ea, qua par eſt, prudentia, zelo, & charitate: aliaque peragat, quæ per Rituale Romanum præſcripta ſunt de cura, & viſitatione infirmorum. Ad cetera Sacramenta, quæ pertinent, ſuis in locis ſuperius adnotata adamuſſim ſervare item ſtudeat.

IV. Divini verbi prædicatione, & orthodoxa doctrina Chriſti oves paſcendas a Parochis divino præcepto mandatum eſt. Hinc eis præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis, ut ſingulis diebus Dominicis, & feſtis de præcepto in prima Miſſa in qualibet Eccleſia Parochiali celebranda, lecto Evangelio, ante offertorium, paulatim alta voce cum adſtantibus recitent, & doceant, quæ ſequuntur, vel per ſe ipſos, vel per alium: ſcilicet. *Io.21.*

Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis myſteria.

Symbolum Apoſtolorum.

Orationem Dominicalem.

Salutationem Angelicam.

Præcepta Decalogi.

Præcepta Eccleſiæ.

Septem Sacramenta.

Actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis.

V. Inter Miſſarum ſolennia ſingulis diebus Domi-

Digitized by Google

minicis, & feſtis ſaltem ſolennioribus, ſub eadem pœna, alijſque ad arbitrium præcipimus eiſdem Parochis, ut ex præcepto Tridentinæ Synodi per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & eorum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet.

Seſſ. 5. cap. 2.

VI. Iiſdem diebus Dominicis ſtatuta hora pomeridiana pueros, puellaſque a ſeptennio, & ſupra convocari in ſuam Paræciam curent, eoſque ſuo ordine, & loco per Eccleſiam diſpoſitos (maribus ſemper a fæminis ſeparatis) fidei rudimentis, doctrinaque Chriſtiana imbuant, aliorum etiam opera Sacerdotum, & Clericorum adhibita. Neque tam neceſſarium exercitium prætermittant, pauci quantumvis pueri concurrant, quorum proinde parentes ſæpe inter Miſſarum ſolennia, aliiſque datis opportunitatibus moneant de graviſſima ipſorum obligatione filios ſuos mittendi ad doctrinam Chriſtianam addiſcendam.

VII. Singulis annis quadrageſimalis temporis initio quilibet Animarum Curator ex ſtatu, quem appellant animarum, ſeligat pueros, & puellas, qui ſeptennium jam compleverint, & duodecimum ætatis annum attigerint: atque hos ad ſacram Euchariſtiam, & illos ad Pœnitentiæ Sacramentum primo recipiendum in proxima Paſchatis ſolennitate inſtruat quotidie, hora præſtituta præfato Quadrageſimæ tempore.

VIII. Deſcriptionem porro ſtatus animarum cujuſcunque Paræciæ ſingulis annis ineunte ſacra Quadrageſima volumus fieri ad formam Rit. Rom., ejuſque ſynopſim ad Cancellariam noſtram tranſmitti infra octavam Aſcenſionis Domini, cum accurata notu-

Part. 1. cap. 5. §. 2. num. 3.

notula prædictorum puerorum, & puellarum, & eorum, qui præcepto non ſatisfecerint Paſchali, ut ſuperius monuimus.

IX. Bonis operibus & exemplis ſuas certe paſcet oves ſpiritualis Paſtor, ſi ſerio perpenderit illud Prophetæ: *Ecce ego ipſe ſuper Paſtores, requiram gregem meum de manu eorum*. Rectis idcirco conſiliis, ſanctiſque monitis, eleemoſynis etiam, quantum ejus vires ferunt, adjuvet parochianos ſuos: & quum in Parochia ſcandalum aliquod ſerpere noverit, ſi ſuam operam non putet ſufficientem ad ipſum eliminandum, illud ad Nos referat, qui profecto ipſius Parochi nomen, & relationem nequaquam patefaciemus. *Ezech. 34*

X. Libros tandem habeat Parochiales, & diligenter cuſtodiat, ſcilicet Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Defunctorum, & ſtatus Animarum, quos in Archivio clavi munito, ut ſuo loco indicatum eſt, retineat. Negligentes in hoc noverint ſeſe pęna pro modo culpæ afficiendos.

VI. Quæ autem vobis proponimus, corde credimus, & ore ad ſalutem veſtram neceſſaria confitemur; Nos ea actu exercito profeſſi ſumus, quum in alma Urbe, Deo dante, per annos ſeptem ſupra viginti fungeremur Vicarii perpetui munere ſacroſanctæ Baſilicæ S.Mariæ Tranſtyberim Fontiſolei, omnium ornamentorum genere eximiæ, quum ſint etiam primitiæ in eadem Urbe Deiparæ Virgini dicatæ. Quamvis enim Cura illa ſex fere millia animarum contineat, quarum pars plura per milliaria longe, lateque extra Urbem via Aurelia, & Portuenſi diſperſa ruri moratur; nihilo ſecius nec æſtus de die, nec gelu de nocte infirmos viſitare, alioſque verbi Dei, Doctrinæque Chriſtianæ pabulo, Miſſionibus ad hoc inſtitutis, continuaque annuali concione, qualibet Dominica ex ejuſdem Baſilicæ ſuggeſto paſcere Nos præpedierunt.

runt. Quæ omnia pariter ſi etiamnum in noſtra reſidentia, & aliquo dereliſtiori loco noſtræ Diœceſis pro viribus, Deo auxiliante, agamus; vos ſcitis, & in propatulo eſt apud omnes. *Nam bonus paſtor* (ait Chriſtus Dominus) *animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. Ergo quiſquis ille ſit, aut paſtorem agat, aut paſtorem ſinat, oportet. *Sit igitur amoris officium paſcere Dominicum gregem*, (ut ait Auguſtinus) *ne veniat illa Domini abominatio per Ezechielem. Væ Paſtoribus Iſdrael, quoniamſe, non gregem paſcebant*. Et (ut ait Apoſtolus) *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*. Dum vero has cohortationes veſtris auribus adhibemus quod ad hanc paſtoralem Parochorum curam & ſolicitudinem, luculentiſſima, ardentiſſimaque Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Fratris Joannis-Antonii, titulo Sancti Martini in Montibus Presbyteri Cardinalis Guadagni, Sanctiſſimi Domini Noſtri PP. Urbis Vicarii zelantiſſimi eloquia ad mentem veniunt. Nec mirum; ex Seraphico nanque Excalceatorum ſanctæ matris Thereſiæ Ordine aſſumtus, ejuſdem ſanctæ matris zelo, quæ ut vera ſponſa Chriſti zelavit honorem, verus hæres effulget: & adeo ſua ſolertia & ardor excrevit, ut propriis ſumtibus typis mandari librum de *Parochorum officio*, eumque omnibus gratuito diſpenſari juſſerit: Noſque de his omnibus teſtes ſumus, pluribus eidem Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino nexibus adſtricti, qui Nos licet immerentes tantis gratiæ ſuæ donis, tantaque benevolentia proſequi dignatur.

Tract. 123 in Joan.

CA-

CAPUT III.

De Vicariis Foraneis.

I. AD mentem ſacrorum canonum pluribus in locis Diœceſis noſtræ Vicarii Foranei conſtituti ſunt, qui opportunis inſtructi facultatibus, & incolarum eorumdem locorum commodo, & Cleri rectæ diſciplinæ ſtudendo, noſtram in paſtorali onere imbecillitatem ſublevent aliquantulum: quemadmodum Jethri conſilio, pluribus adſcitis adjutoribus, Moyſes in populi regimine alleviatus eſt. Vicarii igitur Foranei in cauſſis criminalibus, quum neceſſe fuerit, querelas recipiant, & facti ſeriem accurate ad Curiam referant noſtram. Delinquentes Eccleſiaſticos in flagranti repertos, brachio etiam ſeculari implorato, curent comprehendi, atque ad epiſcopales carceres traduci: in cauſſis vero civilibus ſummam trium ducatorum non excedentibus, procedant uſque ad ſententiam diffinitivam, ejuſque executionem incluſive. *Exod.* 18. *Deut.* 1.

II. Præcipuæ Vicarii Foranei partes erunt invigilandi, ut Eccleſiæ, & Altaria, eorumque ſupellex, & omnia ad divinum cultum ſpectantia decenter ac decore cuſtodiantur; Sacri Ritus adamuſſim, diligenterque obſerventur; ſcandala & abuſus tollantur; & Clericorum cujuſcunque gradus vita honeſte fulgeat. Literarii ludi Magiſtris Eccleſiaſticis item inſiſtendi, ut pueros in diſciplinam ſibi traditos Chriſtianæ religionis præcepta, & fidei rudimenta doceant quum in ſchola, tum in Eccleſia: idque potiori etiam cura fiat a Parochis loco, & tempore ſuperius præſcriptis. *S. Carol. Inſtruct. ad Vicar. For.*

III. Obſervent ut Officia, Anniverſaria, & Miſſarum obligationes rite ac recte adimpleantur. Beneficiatorum, & Parochorum non reſidentium nomina fideliter Nobis ſignificent, deque ipſorum, ſi forte

 acci-

acciderit, negligentia in Sacramentorum adminiſtratione, cura, & viſitatione infirmorum, ceteriſque paſtoralis officii muneribus certiores reddant. Feſtos dies debito cultu maxime curent cuſtodiri; quaſcunque peccandi occaſiones aut per ſe avertant, aut noſtram operam expoſcant; aliaque per præſentes Synodales Conſtitutiones ſancita, & quæ pro temporum circunſtantiis & opportunitate emanabunt edicta, ſtudeant obſervari. Ab ipſis enim Vicariis Foraneis, ſi alienis culpis conniveant, rationem Nos exigemus: quod ne contingat aliquando, mandamus, ut ſingulis menſibus ad Nos epiſtolam ipſi mittant de rebus ad ſuum ipſorum munus pertinentibus, quas literas non negligant, & ſi nihil novi ſcribendum forſitan occurrerit. In rebus gravioribus quidquid acciderit, ſtatim nobis ſignificent, ſub gravibus pœnis eorum in præmiſſis negligentiæ correſpondentibus.

C A P U T I V.

De vita, & honeſtate Eccleſiaſticorum.

I. NIhil eſt, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino manciparunt miniſterio, docente ſacroſancto Tridentino Concilio, & experientia comprobante. Quod ſolicitudinem noſtram paſtoralem maxime compellit ad Eccleſiaſticorum Nobis ſubjectorum reformandam vitam, moreſque, in quos laici oculos conjiciunt, tanquam in ſpeculum, ex iiſque ſumunt, quod imitentur.

Seſſ. 22. cap. 1. de reform.

II. Interdicimus Presbyteris, ac Clericis, cujuſcunque gradus ſint, & dignitatis, alearum, & taxillorum ludos per ſacros canones reprobatos ſub pœna ducatorum decem: & ſub pœnis arbitrio non audeant ludere publicis cujuslibet generis ludis ſcandalum

lum ingerentibus, nec ſpectaculis obſcænis, choreiſque intereſſe, multoque minus ſeſe iis immiſcere. Severiori pœna plectentur, qui horis nocturnis per plateas, aut vias cantus, vel ſonos ediderint, vel laicorum id agentium conventiculis ſeſe adjunxerint.

III. Cohabitationem cum mulieribus, earumque conſuetudinem Eccleſiaſticis eiſdem pariter prohibemus: iis tantum exceptis, quæ primo, aut ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſint conjunctæ, dummodo nulla quod ad has habeatur ſuſpicio. Si quis vero ancillis opus habuerit ad domeſticum, aſſiduumque famulatum ſecum retinendis, eas non aſſumat ſine noſtra in ſcriptis licentia gratis, ſervatiſque ſervandis concedenda, ſub pœna vigintiquinque ducatorum, aliiſque ad arbitrium.

Cap. a Nobis de cohab. Cleric. & mulier.

IV. Noverint itidem omnes eccleſiaſticæ militiæ addicti vetitum ſibi eſſe ſub pœnis a jure ſtatutis negotiari non modo per ſeipſos, verum etiam per interpoſitam perſonam: neque licitum eſſe conducere alienas poſſeſſiones, nec laicorum famulatum exercere, nec procurationes ſive urbanas, ſive ruſticas ſuſcipere: ſic enim præcipit Apoſtolus: *Militans Deo ſe non implicet negociis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Cap. 5. & 6. Ne Cler. vel Monach. Gloſſ. ibi verb. conducere. 2. ad Timoth. 2.

V. Advocati, aut procuratoris officio in laico quovis Tribunali nullus clericus in ſacris, aut beneficiatus etiam in minoribus ordinibus conſtitutus fungatur, tam ſi de cauſſis agatur civilibus, quam criminalibus: exceptis tantummodo cauſis Eccleſiarum ſuarum, vel propriis, aut miſerabilium perſonarum, pro quibus patrocinandis licentiam exquirere noſtram, vel Vicarii noſtri Generalis non omittent. Quemadmodum & eandem licentiam impetrare debebunt, ut executoris teſtamentarii munus, tutelas, & curatelas valeant ſuſcipere, atque ferre teſtimonium in laicali Foro, & cauſis duntaxat civili-

cap. 3. & 4. loc. cit. l. 4. C de Epiſc. & Cler.

 bus

libus, ſub pœna carcerationis, aliiſque arbitrariis.

VI. Venationem cum armorum ſtrepitu, & clamoribus ad normam canonicarum ſanctionum Eccleſiaſticis ſimiliter interdicimus. Scloporum vero genera brevioris quatuor palmis menſuræ: ferreoſque item ſtylos, & quoſvis cultellos acuminatos per Pontificias leges, & Regias Pragmaticas prohibitos & deferre, & detinere prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis quod ad ſacris initiatos; excommunicationis quod ad clericos in minoribus, aliiſque a jure ſtatutis.

cap. 1. & 2 de Cleric. venat.

VII. Tabernas & cauponas, niſi itineris cauſſa, & ex neceſſitate minime ingrediantur clerici cujuſque gradus & conditionis: & ubi ſuaſerit neceſſitas, cum mulieribus, quæ ſibi conſanguineæ, vel affines in primo, & ſecundo gradu non ſint, ſed exteris quibuſcunque, præſertim inhoneſtis, vel cum hominibus criminoſis, malæque famæ nullatenus miſceant conſortia, ſub pœna carcerationis.

VIII. Non liceat Clericis uſus cujuſcunque vilis exercitii, aut officii mere ſecularis, puta tabellionatus in Curia laicali, & pro negotiis ſecularium: nec ullius artis, aut profeſſionis, quæ lenitati adverſatur; veluti medicinæ, chyrurgiæ, aliarumque id genus, ſub pœnis a jure præſcriptis.

cap. 4 & 5. ne Cler. vel Monach.

IX. Haud ſatis tamen eſt Eccleſiæ miniſtros a malo declinare, ſed neceſſe eſt, ut faciant bonum. Præbeant ergo ſemetipſos exemplum bonorum operum, ita ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, & quibuſcunque factis, & dictis nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant, ex monito Tridentini. Cumque per decentiam habitus extrinſeci morum intrinſeca honeſtas oſtendatur, omnes & ſinguli, qui ignominiam ſecularis habitus, & comas capitum pro Chriſti amore ab initio vocationis ſuæ depoſuere, veſte nigri coloris ſine ſuperfluis ornamentis ſemper utantur, & tonſuram geſtent propriis ordinibus con

Seſſ. 22. cap. 1.

Clem. de vit. & Hon. Cler.

Digitized by Google

congruentem: fictamque comam, vulgo *perucca* nuncupatam, non audeant unquam adhibere. Collaria eccleſiaſtici Ordinis diſtinctiva, quotieſcunque in publicum procedunt, iter etiam agendo, omnino deferant; ſub pœnis arbitrio.

X. In eccleſiaſticis functionibus talarem, decentemque veſtem, eamque non laceram adhibeant, alias acriter a Nobis arguentur. Diebus autem quibuslibet feſtis de præcepto mandamus omnibus, & ſingulis presbyteris noſtræ jurisdictioni ſubjectis, cujuſcunque gradus ac dignitatis ii exiſtant, ut antequam ingrediantur in quamlibet Eccleſiam, etiam Regularium (Eccleſiis tantum ruralibus, atque itineris etiam caſibus exceptis) ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, aliaque divina officia celebrandum, & in ipſius celebratione talarem veſtem induant, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, Nobiſque reſervata.

XI. Eccleſiaſticos tandem viros cujuſcunque gradus in Domino hortamur ac rogamus, ut ſacris ſtudiis, præſertim moralis Theologiæ, & ſacrorum Rituum inſtent aſſidue, ſine quibus Sacerdotii miniſteria recte obire non poterunt. Audiant proinde ſummum Pontificem Gelaſium ad Lucaniæ Epiſcopos *Cap. 18.* ſcribentem: *Nemo* (inquit) *illiteratus ad clericatus ordinem promoveri præſumat, quia literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis.* Formidandum vero in modum ejuſmodi ignorantiam in ſacris altaris Miniſtris Dominus ipſe deteſtatur per os Prophetæ, ſic inquiens: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* *Oſeæ 4.*

CA-

CAPUT V.

De Regularibus.

I. RElIgioſos Regularium Ordines, qui in Eccleſia Chriſti tanquam caſtrorum acies bene ordinata ad divinam gloriam promovendam inſtituti ſunt, magno Nobis in regendis populis adjumento eſſe agnoſcimus, taleſque omni tempore futuros ſperamus, dummodo qui hanc Diœceſim incolunt, manentes in vocatione, qua vocati ſunt, Patrum ſuorum ſequantur veſtigia. Quamobrem ad Regulares ſermonem convertentes, Divi Leonis Papæ monita uſurpamus, *Mementote cujus capitis, & cujus corporis ſitis membra: reminiſcumini, quia eruti de poteſtate tenebramur, ſcilicet hujus ſeculi, translati eſtis in Dei lumen, & regnum. Ita profecto lucebit lux veſtra coram hominibus, qui videndo opera veſtra, glorificabunt Patrem, qui in cœlis eſt.*

Serm. 1. de Nat. Chriſti.

II. Obſervanda potiſſimum iiſdem eſt conſtitutio nuperrime a ſanctiſſimo Domino noſtro Benedicto PP. XIV edita ſuper clauſura Monaſteriorum quoruncunque virorum Regularium: qua interdicitur quibuſvis fœminis aditus & ingreſſus intra eorundem Monaſteriorum cœnacula, cubicula, officinas, ſepta, & clauſtra, ſub prætextu etiam pietatis & religionis ad ſacras videlicet ſupplicationes concomitandas & ſequendas, quæ cum Sanctiſſimo Sacramento, Sanctorumque Reliquiis, aut imaginibus haberi per eadem clauſtra ſolent, ſub pœnis alias ſtatutis.

Sub dat. 3. Jan. 1742.

III. Monaſteria, ſeu domus religioſæ, in quibus requiſitus Religioſorum numerus non exiſtit, noſtræ ſubſunt juriſdictioni, uti ex Apoſtolicis patet ſanctionibus: iſtoque jure ſpecialiter Nobis ſubjectus fuit Conventus ſanctiſſimæ Annunciationis Civitatis

Innoc. X ut in parvis decli. S. Congr. 27. Julii 1695.

vitatis Pontiſcurvi, aliique hujuſmodi intra Diœceſis fines exiſtentes.

IV. Noverint autem Regulares quicunque ſibi non licere, Nobis inſciis nec permittentibus, prædicare verbum Dei in quibuslibet Eccleſiis, aut Oratoriis coram Populo. In Eccleſiis quippe ſuorum Ordinum neceſſe eſt ut benedictionem a Nobis ipſi petant: in ceteris vero licentiam quoque obtineant noſtram: ſed in neutris, Nobis repugnantibus, nulli unquam concionari licebit, ſub pœnis per Pontificias conſtitutiones arbitrio noſtro commiſſis. Qui tamen ad concionandum velint admitti, pariterque ad audiendas Sacramentales Confeſſiones ſecularium, approbationem ſuorum Superiorum Nobis opus eſt ut ante patefaciant. Qui tamen huic Confeſſarii muneri a Nobis deputantur, etiam ſi facultatem abſolvendi a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis ſuorum vi privilegiorum, vel quomodolibet habeant, non ideo valeant abſolvere ab iis, quos Nobis reſervavimus. Atque, ut ſuo recte fungantur munere, volumus, ut has præ manibus conſtitutiones habeant Synodales, & attente perlegant.

Greg. PP XV Inſcrutabili. Clem. X ſuperna.

Conſt. cit.

V. Regularem, qui extra clauſtra degens deliquerit, per canonicas ſanctiones Nobis eſt attributa facultas corrigendi, & merita pœna plectendi juxta earum præſcriptum.

Cap. Volentes de privil. in 6. Tridenti. ſeſſ. 6. c. 3. de reform.

CAPUT VI.

De Seminario.

I. SEminarii erectio a Tridentino magnopere commendatur, ut in eo adoleſcentes ad religionem, & literas informati, ordinum gradibus, & eccleſiaſticis miniſteriis, divina favente gratia, evadant idonei. Extat tale Collegium in hac Diœceſi no-

Seſſ. 23. cap. 18.

Digitized by Google

noſtra ſufficienti numero Alumnorum inſtructum, quod ut Dei omnipotentis auxilio in diſciplina perſeveret, & vere habeatur, & ſit virtutum omnium Seminarium, nullus unquam in ipſo a Rectore recipiatur, quamvis in numero convictorum proprio ſumtu alendus, niſi, quæ ſequuntur, inſtructus ſit requiſitis. Videlicet, quod ſit legitimo natus matrimonio, ad minimum duodecim ætatis ſuæ annos habeat, & eo ingenio ſit, & moribus præditus, ut ejus indoles ſpem afferat, ipſum in Eccleſia Dei fructum, & utilitatem allaturum. Idcirco ante cujuslibet admiſſionem, a Nobis, vel aliis ad hoc Deputatis idoneitas erit probanda, & licentia noſtra in ſcriptis obtinenda.

II. Regulæ & conſtitutiones Seminarii adamuſſim obſerventur: & ne ignorantiæ excuſatio ulli valeat ſuffragari, mandamus, ut infra quatuor menſes a præſentis publicatione decreti in meliorem formam in ſcriptum redactæ, noſtro de conſilio, & Deputatorum, aliorumque virorum prudentum judicio comprobentur, & ſæpius in communi menſa legantur.

III. Habitum violacei coloris uſque ad talos, & Clericalem tonſuram Alumni deferant, etiam qui propriis ſumtibus aluntur: iique ſingulis ſaltem bimeſtribus ratam ſumtuum teneantur præſtare. Diſcoli, Superiori, & Magiſtris inobedientes, litterarumque ſtudia negligentes acriter puniantur: & incorrigibiles, Nobis conſultis, expellantur.

CAPUT VII.

De Monialibus.

I. NUnc Nobis ad virgines ſermo, quarum quo ſublimior gloria, eo major & cura eſt: ut enim

enim loquitur Divus Cyprianus Epiſcopus & Martyr: *illuſtrior ipſæ quidem ſunt portio gregis Chriſti, propterea earum cuſtodia vigilantiam ſolicitudini paſtorali importat quam maximam*. Unicum in hac Diœceſi extat Sanctimonialium Monaſterium in Civitate Ponticurvi ſub regula S.Benedicti, & noſtræ juriſdictioni omnimode ſubjectum, pro cujus recto regimine ad Dei gloriam Synodales Conſtitutiones, quæ ſequuntur, præſcribendas in Domino reputamus.

De diſcipl., & hab. virg.

II. Et quoniam ſacrarum Virginum domicilium re vera dici poteſt *hortus concluſus*, *fons ſignatus*; ejus clauſura vigili ſolertia ſervanda eſt: hac enim vel parum neglecta, flores virtutum, & lilia caſtimoniæ aut penitus marceſcere, aut ſuum ſaltem amittere odorem, in comperto eſt. Hinc ſapientiſſimus, æque ac maximus Papa D.N.Benedictus XIV. ut primum in ſuprema Eccleſiæ ſpecula divina fuit conſtitutus providentia, de reſtauranda Monaſteriorum Sanctimonialium clauſura cogitavit, ſaluberrimam edendo ſanctionem. Nos igitur tanti Pontificis, de univerſa ſancta Eccleſia, deque Nobis maximopere benemeriti, ex munere officii noſtri ſtudiis inhærentes, in primis prohibemus præfati Monaſterii Abbatiſſæ, Prioriſſæ, aliiſque, ad quas ſpectat, ne janua illius pateat unquam, ſeu aperiatur abſque neceſſitate: nec ullus ſive vir, ſive mulier intra clauſuram introducatur, noſtra non obtenta in ſcriptis licentia, ſub pœnis a jure ſtatutis. Prætereaque iiſdem, itemque ceteris omnibus quibuſcunque interdicimus pueros, puellaſque cujuslibet ætatis, etiam minores ſeptennio intra Monaſterium admitti ſub pœna violatæ clauſuræ, aliiſque ad arbitrium.

ſub dat. 3. Jan. 1642.

III. Ad crates, & loca, quæ vulgo *parlatoria* nuncupantur, multo minus ad januam Moniales accedant ad colloquendum cum viris, niſi fuerint in primo, vel ſecundo gradu ſibi ſanguine conjuncti: cum

M his

His autem ad præfatas tantummodo crates colloqui licebit. Nunquam tamen id agant ſine ejus, ad quam ſpectat, licentia, quæ ſine urgentiſſima neceſſitate nemini danda eſt tempore Adventus, Quadrageſimæ, & quum divina officia celebrantur, aut conciones habentur, quo tempore clauſæ omnino detineantur crates, & collocutoria. Et ne otioſi quidam homines inanibus colloquiis intra clauſtra ingerant ſeculi vanitates, nemo in poſterum ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia ad Monaſterii crates, aut januam accedere, & cum Monialibus alloqui præſumat, præterquam conſanguinei, vel affines in primo, vel ſecundo gradu: qui tamen permiſſione hujuſmodi minime abutantur, ſub pœnis arbitrio.

IV. Tria obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, quæ emiſerunt, vota, in quibus religioſæ perfectionis ſumma ſita eſt, Moniales totis viribus curent implere. Regulas & conſtitutiones obſervent, quas proinde & privatim, & in plena communitate ſæpe perlegant. Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ pluries in hebdomada ex laudabili conſuetudine, quæ viget in Monaſteriis Sanctimonialium Almæ Urbis, reficiantur: idque diebus per proprias regulas præſcriptis nullatenus omittant. Super quibus omnibus & ſingulis oneramus Abbatiſſæ conſcientiam, ſi ea culpis connivendo, quas per ſe non valet corrigere, ad Nos deferre negligat. Qualibet itidem Sacra Virgo potiſſimum caveat, ne ſub inani, frivoloque neceſſitatis prætextu agat proprietatis affectio in ejus corde radices: a negotiationibus idcirco abſtineat, a lucris, aliiſque hujuſmodi a religioſo propoſito alienis, & per Apoſtolicas ſanctiones graviſſime reprobatis.

Clem. VIII Religioſæ 1594.

V. Omnes Moniales ſemel ſaltem per annum, decem diebus continuis ſpiritualia exercitia peragant; prætereaque Novitiæ, antequam profeſſionem emi-

emiſerint, ſervata forma litterarum Sacræ Congregationis juſſu ſa. me. Innocentii PP. XI tranſmiſſarum. *9. Octobr. 1682.*

VI. Puellæ convictrices pie & ſancte inſtituantur. Quarum ornatus, & veſtes puellis inter Chriſti ſponſas verſantibus ne diſconveniant, non ſericæ ſint, neque alterius, quam nigri, vel fuſci, vel albi, aut violacei coloris: nulloque ipſæmet exquiſito, quod ſacris non congruat aſceteriis, ornamenti genere utantur.

VII. Confeſſarius Monaſterii ordinarius & dictis, & exemplis, quæ ad regularem obſervantiam, & ſpiritualem Monialium profectum conducunt, quam maxime ſtudeat promovere. Monaſterii clauſuram non ingrediatur, niſi urgeat neceſſitas, Sacramenta videlicet Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Infirmis adminiſtrandi, iiſque agonizantibus, animamque agentibus adſiſtendi. Quibus in caſibus, ut Religioſæ gravitatis & modeſtiæ præſeferat documenta, ſuperpelliceo, ſtolaque indutus intra ſepta incedat, & nonniſi a duabus ex ſenioribus Monialibus ſemper aſſociatus: nec ad alia a ſuo munere aliena divertat, ſub pœnis violatæ clauſuræ. In audiendis confeſſionibus ægrotantium ambæ comitatrices Confeſſarium, & infirmam conſpiciant, non tamen audiant. Procul is abſit a collocutoriis & cratibus, niſi rationabilis cauſſa aliter quandoque ſuaſerit. *Epiſt. encycl. S. Congr. 12. Martii 1682.*

VIII. Idem Confeſſarius ordinarius longe a Monaſterio abſcedat, quum extraordinarium Sacramentalis Pœnitentiæ Miniſtrum inibi deputaverimus, niſi ſubita, eaque urgentiſſima ratio contrarium exigat.

IX. Quæ breviter de Confeſſario ordinario præſcripſimus, ſimili ratione extendenda ſunt ad extraordinarium. Qui ſane quum ſæpius ex aliquo Regularium Ordine ex multiplici neceſſitate adſciſcatur, is intra clauſtra de ſpeciali in ſcriptis licentia noſtra ubi ad infirmarum Confeſſiones excipiendas ſit ingreſſurus,

M 2 præ-

præter alia modo ſtatuta, non intret, niſi cum ſocio, qui ſit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, ſemperque maneat in ea parte Monaſterii, ubi is Confeſſarium videre, & ab ipſo viciſſim videri ſemper poſſit, nulla conſuetudine in contrarium penitus obſtante.

CAPUT VIII.

De Foro Epiſcopali.

I. INter poſtremas Epiſcopalis officii partes ſane recenſenda non eſt fori Epiſcopalis cura: quandoquidem ex Apoſtoli ſententia, *qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Potiſſimum igitur ſtudium ſit expeditio cauſſarum ad Curiam noſtram pertinentium. Id volumus a Vicario noſtro Generali in primis præſtetur, qui cauſſarum meritis, rationum pondere, & veritate perſpectis, cavillationes, ſubterfugia, & calumnias iniquorum hominum verſutia in grave animarum,& temporalium quoque bonorum detrimentum adinventas,ab eodemque Apoſtolo reprobatas, explodat,ſeque ipſum immunem ſervet nedum ab omni perſonarum acceptione, ſed ſanctius quoque alienum a munerum cupiditate, quæ excæcant corda ſapientium.

Ad Timoth.3. *Ad Teſſal.1.*

II. Miſerabilium perſonarum miſerentes, quod eſt Epiſcopi gloria, divo Hieronymo teſte, Vicario noſtro Generali, necnon aliis Tribunalis noſtri Miniſtris mandamus,ut regii Pſaltis præceptum cuſtodiant: *Judicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem juſtificate.* Hoc autem fiet, ſi miſeros in judicio a potentioribus opprimi non patiantur, atque in exigendis emolumentis ad noſtram Cancellariam ſpectantibus, taxam non modo non augeant, ſed potius deminuant, & aliquando etiam in totum remittant pro perſonarum inopia. In eadem Cancellaria hujusmodi

Can. gloria 11. q.3. *Pſalm.81*

ta-

Digitized by Google

taxa a nobis approbata pateat; eamque omnes & ſinguli Miniſtri ne in minimo quidem audeant alterare, ſub pœna privationis officii, aliisque graviſſimis arbitrio.

III. Cancellarii, ſeu Notarii non extrahant a Cancellaria noſtra quaſcunque ſcripturas, neque tradant vel commodent ulli proceſſus originales, eorumve copias ſine noſtra, vel Vicarii Generalis licentia; eaque obtenta, nonniſi poſt apocham in libro ad hoc parato a perſona Eccleſiaſtica ſubſcriptam, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Nobis reſervatæ. Quam excommunicationem ſciant pariter incurſuros ipſo facto quicunque alii ſcripturas hujuſmodi auſi fuerint exinde extrahere, ſubripere, aut quoquomodo ſine præfata licentia uſurpare. Quamobrem prædicti Cancellarii, ſeu Notarii in officio recipiendo juramentum præſtent in manibus Vicarii Generalis de hoc ſervando ſtatuto, & fidelitate in aliis omnibus ad proprium munus ſpectantibus: atque Inventarium ſcripturarum in Cancellaria exiſtentium ſubſcribant, idonea præſtita cautione.

IV. Excommunicationis gladius, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſobrie, & magna circumſpectione adhibeatur, ne paretur in perniciem, & contemnatur, qui ad ſalutem, & continendos in officio populos in Eccleſia inſtitutus eſt. Hinc literæ Monitoriales pro rebus deperditis, aut ſubtractis, vel aliis de cauſſis a Vicario noſtro Generali non concedantur, niſi pro re gravi, minimeque vulgari, cauſa diligenter examinata, atque in ſubſidium, deficientibus ſcilicet aliis probandi modis legitimis, cæterisque ſervatis per Sacrum Concilium Tridentinum præſcriptis. *Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform.*

V. Ne plurimorum occaſio perjuriorum ſine ulla ferme utilitate præbeatur, ſtatuimus ut, quandocunque rei criminaliter inquiſiti uti principales examinandi

nandi conſtituentur, ab ipſis juramentum in Curia noſtra non exigatur de veritate dicenda, niſi forte iidemmet rei ut teſtes quoad alios examinentur.

CAPUT IX.

De Examinatoribus Synodalibus.

I. PRo Eccleſiis Parochialibus vacantibus rite conferendis plures ab Epiſcopo proponendos, ſeligendoſque in Synodo Diœceſana Eccleſiaſticos viros, qui ſcientia polleant, ad Examinatorum officium obeundum apertiſſime caverunt Patres Tridentini, talem, tantamque in iis morum honeſtatem, fidelitatem, animique ſynceritatem requirendo, ut humana quæcunque affectione poſtpoſita, quod jureſurando facturos ſpondent ac profitentur, Deum tantummodo præ oculis habeant, & quod pro veritate ſentiunt, manifeſtent. Nos proinde canonicum hujusmodi præſcriptum exequuturi delegimus, & huic Synodali conventui proponimus ad Examinatorum Synodalium gerendum munus infra notatos reverendos viros, eo animo ut eorum perduret officium, donec altera Synodus habeatur. Iique ſunt

Seſſ. 24. cap. 18.

Reverendiſſimus Dominus Marcellus Fattoroſi Archidiaconus Litteranus.

J.V.D. Protbonotarius Apoſtolicus, Vicarius noſter Generalis, & ſucceſſores in Officio.

Adm.R.D.Alexander Magnus Capozzella Archipreſbyter, & Pœnitentiarius Cathedralis Eccleſiæ Aquinatis, J.V.D., & S.Theologiæ Profeſſor.

Adm.R.D.Franciſcus Tedeſchi Canonicus dictæ Eccleſiæ, S.Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

Adm.R.D.Alexander Andreozzi Archipresbyter Concathedralis Eccleſiæ Pontiſcurvi, Sacræ Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

Adm.

Adm.R.D.Ludovicus Sparagna Canonicus dictæ Eccleſiæ, S.Theologiæ, & J.V.Profeſſor, Provicarius Pontiſcurvi.

Adm.R.D.Alexander Bergamaſco Canonicus, & Pœnitentiarius dictæ Eccleſiæ, S. Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

Adm.R.D.Petrus Paulus Sabatucci Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, Philoſ., & S. Th.Doctor, J.V.Profeſſor, & in Romana Archigymnaſio Academ.

R.D. Petrus Piacentini Archipresbyter Collegiatæ Inſignis Roccæ Guilielmi, S.Th., & J.V.P.

R.D.Carolus Groſſi Archibresbyter Caſtri Cœli, S. Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

R.D.Xyſtus Sera Archipresbyter Collegiatæ Eccleſiæ Arcis, S.Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

R.D.Cæſar Tronconi Canonicus dictæ Eccleſiæ Arcis, J.V.D., & S.Theologiæ Profeſſor.

R.D. Matthæus Cavacece Archipresbyter Collegiatæ Eccleſiæ Pedemontis, J.V.& S.Theol. Profeſſor.

R.D.Dominicus Panniglia Archipresb. Collegiatæ Eccleſiæ Roccæ Siccæ, & S.Theolog.Profeſſor.

R.D.Dominicus Groſſi Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ Terellarum, J.V.D., S.Theologiæ Profeſſor, & Protonotarius Apoſtolicus.

R.D.Petrus de Camillis Archipresb. Parochialis Eccleſiæ Roccæ Arcis, J.V., & S.Th.Profeſſor.

R.D.Abbas Joſeph Maria Matthæi S.Theologiæ, & J.V.Profeſſor.

Reverendus Pater Michaël Girodini Rector Collegii Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Pontiſcurvi, S.Theologiæ Profeſſor.

Reverendus Pater Jo:Baptiſta Ardizzoni Congr.Doctrinæ Chriſtianæ, Seminarii Aquinaten. Rector, S.Theologiæ Profeſſor.

Reverendus Pater Jacobus Clara Congr.ejuſdem, & in præfato Seminario S.Theologiæ Lector.

Ex

Digitized by Google

Ex Regularibus.

Pater Clemens a Jeſu-Maria Carmelita Excalceatus S.Thereſiæ, noſter Theologus, Lector S.Theol.

Pater Seraphinus-Maria Pintilli S. Theologiæ Lector, & Prior Ordinis Prædicatorum in Civitate Pontiſcurvi.

Pater Franciſcus-Maria Mancini S.Theol. Magiſter, Guardianus Conventualium Roccæſiccæ.

Pater Joſeph a Morrone S.Theologiæ Profeſſor, Guardianus Cappuccinorum Civit. Pontiſcurvi.

Pater Michaël de Angelis Diſcretus Perpetuus, Ordinis Minorum Conventualium, S. Theologiæ Profeſſor.

CAPUT X.

De Judicibus Synodalibus.

I. SAcroſancti Concilii Tridentini, aliiſque Summorum Pontificum ſanctionibus inhærentes, inſraſcriptos Judices, quibus cauſſas per Sanctam Sedem, aut Nuncium Apoſtolicum valeant committi, hic etiam proponimus & declaramus uſque ad aliam futuram Synodum; eosdem interea hortando ex monito præfati Tridentini, ut terminandis cauſſis, quanta fieri poteſt brevitate, ſtudeant, aliaque ſervent, quæ nuper in cap. VIII. præſcripſimus. Sunt autem

Seſſ. 25. cap. 10. de reform.

Reverendiſſimus Dominus Marcellus Fattoroſi Archidiac. Eccleſiæ Litteren., J.V.D., Protonot. Apoſtolicus, Vicarius noſter Generalis, & ſucceſſores in officio.

Adm. R.D. Alexander Magnus Capozzella Archipres., & Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis Aquin., J.V.D. & S.Th. Pr.

Adm. R.D. Lucas Antonacci Canonicus ejusdem Eccleſiæ, S. Th., & J.V.P.

Adm.

Digitized by Google

Adm. R. D. Ludovicus Sparagana Canonicus Concathedralis Pontiscurvi, J. V. & S. Th. Pr., & in eadem Civitate Provicarius.

Adm. R. D. Petrus-Paulus Sabbatucci Canonicus dictæ Eccleſiæ, Phil. & S. Th. Doctor, J. V. Profeſſor, & Proton. Apoſtolicus.

CAPUT XI.

De Teſtibus Synodalibus.

I. Quum imbecillitatis noſtræ vires profecto exuperet paſtorale onus Angelicis etiam humeris formidandum; Moyſis exemplo excitati viros potentes ac timentes Deum, in quibus ſit veritas, & oderint avaritiam, neceſſe eſt mox eligamus, ad noſtram coadjuvandam ſolicitudinem, curamque epiſcopalem juxta laudabilem morem ſacris canonibus probatum: qui zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ præſtantes, ſi quid in Civitatibus, ac Diœceſi emendandum ſit, qua decet fidelitate, Nobis, aut Vicario noſtro Generali ſignificent. *Exodi* 18

II. Teſtes Synodales Eccleſia hoſce viros ex antiqua conſuetudine nuncupat: quorum officium erit diligentiſſime inveſtigare in locis ſingulorum curæ commendatis, num aliquid in Clero, vel Populo contingat, quod bonis moribus adverſetur, noſtramque exigat correctionem. Tales autem ſint

In Civitate Aquinate.

Adm. R. D. Thomas Palombelli.)
Adm. R. D. Angelus Groſſi.) Canonici ejus Cathedralis Eccleſiæ.
Adm. R. D. Franciſcus Tedeſchi)

In Civitate Pontiſcurvi.

Adm. R. D. Octavius Mancini Canonicus ejus Cathedralis Eccleſiæ.

Omnes Parochi præfatæ Civitatis.

In Diœceſi.

Omnes Vicarii Foranei.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Conſtitutionibus Synodalibus.

I. QUæ hactenus ad Chriſtifidelium curæ noſtræ concreditorum ſpiritualem utilitatem, & ad eccleſiaſticam in Clero diſciplinam vel reformandam, vel ſtabiliendam ſancivimus, ad normam ſacrorum Canonum, & juxta Summorum Pontificum ſanctiones, quibus etiam antea quiſque vinctus tenebatur, & tantummodo ſunt per diligentiam, & auctoritatem noſtram in unum propoſita, & cujusque uſibus accomodata, exacte volumus ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari. Ut autem ſupradicta univerſa & ſingula accuratiori ſtudio ſerventur, nullusque ignorantiæ valeat obtendere excuſationem, unicuique de Clero Diœceſis noſtræ mandamus horum Synodalium decretorum, poſtquam impreſſa fuerint, comparare ſibi quantocitius ſtudeat exemplar.

II. Synodales alias quaſcunque pœnas, & cenſuras a prædeceſſoribus noſtris latas abolemus & abrogamus, easque duntaxat vigere & perſiſtere, ſubditoſque noſtros illaqueare decernimus & declaramus, quæ in præſentibus Synodalibus ſtatutis reperiuntur, & pro circumſtantiarum opportunitate in poſterum edicentur. Nanque plurima eorundem Prædeceſſorum ſapientiſſime edita decreta Synodalia hiſce noſtris inſeruimus, & laudavimus eo quidem conſilio, ut ad reliqua obſervanda, communibus cæteroquin juribus minime conſtituta, ne legum multiplicitate imbecillitas humana plus æquo oneraretur, Clerum noſtrum, alioſque quoſcunque juriſdictioni noſtræ quomodolibet ſubjectos nequaquam compelleremus. Hortamur tamen etiam atque etiam omnes in Domino, ut quæ typis fuit nuper evulgata, & per manus plurimorum Eccleſia-

cleſiaſticorum circunfertur, Synodum bon. mem. Flaminii Filonardi præceſſoris noſtri de Diœceſi hac Aquinaten. plurimum benemeriti, ſæpius evolvant, accurateque conſiderent, pro majori eorum, quæ præſentibus conſtitutionibus continentur, elucidatione.

